

DE CAVSA COLO-
niensi.

BREVIS ET
PERSPICVA

COMMENTATIO
RECENS EDITA.

Eidem adiectus est



APOLOGETICVS LL.
BER CAROLI V. IMP.
CONTRA PONTIFI-
cem Romanum Clemens-
tem VII.

Anno 1527. Antuerpiæ primūm edi-
tus, nunc recusus.

Anno Domini 1588.

PRAEFATIO AD PRINCIPIES GERMANIAE.



Xhibemus vobis, Germaniae Principes, de negotio Coloniensis liberam quandam Commentationem: atque non tam ipsius Gebhardi Archiepiscopi, &c. causæ æquitatē: quām totius Germaniae patriæ nostrę dulcissimæ otium, salutem & libertatē defendendam vindicandamq; proponimus. Quid enim fraudis machinetur, pacis ille & tranquillitatis publicæ hostis Pontifex Romanus, & quanta clades Germanicæ libertati immineat: satis superq; ex ijs, quæ dicentur, bonus quiuis cognoscet. Neq; enim Religionis vel Ecclesiæ cura ab eo suscipitur: non iuramenti, nō voti sanctitas eum ad præiudiciales istas Magnatum excommunicationes impellit: Imperium est, Imperiū est, quod quæritur: & effrenis illarum ciuios Proceres Electores, Imperatorem ipsum, Germaniam denique totam pro libitu dominandi, statuendi, sœuiendiq; cupido. Itanè verò Romanus facerdos jura Germanica pro animi libidine immutaret, diminueret, tolleret? Itane B. Petri & Pauli Apostolorum exemplum secutus, potentissimos Principes, Electores, Reges, Imperatores suę potestati & jurisdictioni tanquam censitos & vasallos subiiceret, subjectos pedibus cōcularet? Itane Magistratus quos vellet nouos crearet: veteres quos vellet deiiceret? O humilitatem! Hocce serui seruorum est? Vosne Germani Principes Electores & Imperij Status ad hæc conniuere, hæc ferre poteritis? Vosne jus vestrum ab Italo monacho, à seruo vilissimo ita manifesto vobis eripi cōcedetis? Vosne Germanum Germanię Principem Electorem, &c. Ordinis, Collegij, & corporis vestri membrum, propter solam Róm. Episcopi excommunicationem de statu suo turbari patiemini? Nónne Pontificem idem quoque in similibus personis, siue illustrissimis, siue illustribus, sine vlla causa & causa cognitione, foedissima sua nulloq; jure nitēte excommunicatiōne

A D P R I N C I P E S G E R M A N I A E.
tione, tentare & perficere conari cernitis? Nónne idem & vobis posterisq; vestris futurum arbitramini? An vos latet nuper admodum Serenissimū Nauarræ Regem & Illustrissimū Principem Condæum, Henricos duos, ea sola de causa, quodā Pontificia religione alieni sunt, à Sixto V. (quod antecessor eius Gregogius XIII, morte prævētus perficere nō potuit) stricto vindictę suę gladio, Hæreticos, Regno & Ducatibus, dominijs, Ciuitatibus, & locis quibuscumque tam feudalibus quām alodialibus, vt & dignitatibus, honoribus, muneribus, ac juribus omnibus ipso jure priuatos, inhabiles etiam ad succedendum in quibuscumq; Regnis, Ducatibus, &c. declaratos & pronunciatos, eorundem vasallos & subditos ab omni juramēto & fidelite debita absolutos, & ad executionem huius Papalis sententiæ Henricum Francorum regem ac Guylsios Principes, eorumq; confœderatos excitatos esse. Quę vna executio ante triennium coepta iam supra octoginta millia hominum (quibus Turcam oppugnati consultius fuisset) absumpſit, nec solum in Gallia multarum calamitatū causa fuit, sed etiam in Imperij limites sœuijt, Comitatum Mompelgardensem cædibus, incendijs & direptionibus planè deuastauit.

At dicent fortè nonnulli, A separatis non recte inferri, neque ex eo, quod in Gallia hæc fiant, paria in Germania esse extimescenda: nos enim Passauensi placito, & Religionis pace sati aduersus eiusmodi machinationes munitos & tutos esse. Hi, si qui sunt, velim memoria repetant, quod Romani Pontifices nō solum aliorū placita, leges & sanctiones, sed etiam quæ ipsimet jureiurando firmarunt, semper haec tenus violauerint, quotiescumq; occasiōne fulminibus suis nocendi nactos se esse putauerunt. Habuerunt & Galli Religionis pacem seu pacificationis articulos, Regis & procerum ac Parlamentorum jura mentis aliquoties firmatos. Mense Ianuario Anno 1561. post Poissiacum colloquiū Pontificiorum & Euangelicorū, edito Regio Euangelicis libera Religionis suę professio, liberumq; eiusdem in docendo, & administrandis Sacramentis exercitiū

P R A E F A T I O A D

permisum est. Hoc edictū statim à Pontifice eiusq; ministris Guisij violatum, Interfecto dein ad Aureliam Francisco Guisio, furores Pontificij repressi, & pacificationis articuli vtriusq; partis consensu & iuramentis firmati, ac mense Martio Anni 1562, publicati sunt. Sed & hæc pacis vincula Pontifex per instrumenta sua, ducem Albanum, Mediceam Circen, & Carolū Guisium Lotharingię Cardinalem eiusq; fratrē & ex fratre nepotes perrupit. Verum cùm iterum bello delere semina Euangelij non possent Pontificij, ac suppetijs Illustriss, ac nunquam satis laudati Principis Electoris Palatini Friderici II. piissimæ memoriae, quas cum filio fortissimo ac cordatissimo Principe Ioh. Casimiro in Gallias miserat, contra vim Pontificiorū satis ad propulsandam iniuriam Ecclesiæ Gallicanæ munitæ essent, denuo in Martio Anno 1568. repetita fuit religionis Pax. Sed & illa diuturna nō fuit: verum opera Illustriss, & fortissimi Principis Palatini Vuolffgangi ac generosi & magnanimi Vuolrha ti Comitis Mansfeldij eadem pax Anno 1570, mense Augusto Ecclesijs Gallicanis restituta, passim publicata, & sacramētis confirmata est. Perhorresco quoties ad violationem huius pacis & jurisiurandi venio. Quæ enim in Parisianis, vt in detestandis Belidarum, nuptijs parricidia & latrocinia perfidè Lutetiae Parisiorum & passim in regno Gallię Anno 1572, mense Augusto, & post, contra Euangelicos perfecta, ea tanquā toto mundo peruulgata referre superuacuum est. Ac nulli nisi ipsi impij periuri & perfidi immanem & horrendam illam crudelitatem probant. Pontifex tamē Rom. qui sanguinis Christiani semper insatiabilis fuit, nullamq; fidem, nullum jusiurandū hæreticis seruandum esse docet, hoc tanquam legitimè & egregè factum collaudauit, & adhuc collaudat. Mitto renouatas deinde pacificationes, repetita sacramenta, cū ea adhuc in omnium recenti memoria sint. Et tamen ad vnius Pontificis Romani excommunicationem hæ pacificationes violātur, & iam denuo Galia tota Rom. Pontificis bruto fulmine excitata bello ardet.

Sed non desunt qui sibi ad blandiuntur, & aliena hæc esse
præten-

P R I N C I P E S G E R M A N I A E.

pretendunt, atq; vt ut Pontifex ita pro lubito suo Gallias impel lat: Germanos tamen non ita leuiter ad violanda placita & Constitutiones Imperij permoueri: neque tale quid nobis timendum iam esse. Illi velim ad animū reuocent, quæ calamitates iam in Coloniensi Archiepiscopatu eiq; vicinis Ducibus & Comitatib. Iuliacensi Cliuensi Montensi Marchiæ, &c. ad vnius Pontificij nuncij Episcopi Vercellensis sentētiā tanquam bellī tubam, ab executoribus eius Censuræ inuectæ & illatæ sint. Et quamvis ibidem nullus adhuc cedium, rapinarum & deuastationum finis sit, videmus tamen Pontificem idem pari censura iam in Episcopatu Argentinensi tentare, excommunicatis tribus eius collegij ornamētis, Georgio Vuitgenstenio, Hermanno Adolpho Solmensi, Comitibus, & Iohanne Barone Vuinnenburgico, idq; (vt sentētiā nūcij Romani habet) ex causa hæ resis: ad hanc rem annuente & strenuè operam suam nauante Episcopo Argentinensi & eius duobus fratribus Eberharto & Arnoldo ac Tengensi, Comitibus: Quamuis hos omnes nō lateat, Euangelicos Principes & Comites ante & post Passauensem transactionem, ante & post pacem religionis in hodiernū vñq; diē in summo Argentinensi collegio & Capitulo sine discrimine religionis receptos & pro fratrib. habitos. Quamuis etiā ipsemet Comes in Tengen nunc ordinis sui persecutor, multis annis publicam Euangelicę religionis professionem fecerit: Et quāuis in Argentinensi Summo templo pōticia Religio planè iamdudū explosa sit: Ac quāuis ante paucos annos Episcopi stater Comes Eberhartus à Pontifice excommunicatus fuerit, & tum ex suo exemplo & cōmuni Capituli Argent. decreto cognouerit, Pontificis fulmina ibidem pro brutis & nullis haberis. His tamen omnibus non attentis Episcopus Argent. executionem Pontificię Censurę vrget, & Alsatię Provincię Statibus auxilia ad hanc executionem ferre recusantibus, interminatus est, se externū militem inducturum. Perpendant etiam qui adeo securi sunt, quām non difficile sit Antichristo Romano vel in medio Imperio nostro turbulentum aliquem exci-

P R A E F A T I O A D

tandi, cui nec in ipso Imperio fautores deerunt, & cui Pontif. Rom. cum Hispano, Gallo, alijsq; suis ministris non defuturi sunt, si nos occupatis adhuc illis in Gallia & Belgio, Euangeli, cos, qui nobiscum vnius corporis, cuius Christus caput est, mēbra sunt, desertos opprimi patiamur.

Verūm qui se Catholicos vocant, eorum nonnulli ita fortassis prætendent: Catholici Principes sumus, non nobis tale quid timendum: sed hæc ijs tantum imminent, qui à Roma- na Ecclesia defecerūt. Quæso vos, primūmne hoc tentat Pon- tifex? Et an illi satis est, Religioni Pontificiæ addictos esse Im- peratorē & Principes? Cur ergo Imperator Otho IV. ab Innocē- tio excommunicationi innodatus est? Cur Henricus IV. à Ge- orgio V II. proscriptus? Cur Henricus V. à Paschali II. Fri- dericus I. Sueuus ab Hadriano I V. & Alexandro III. Philip- pus Friderici I. filius ab Innocentio III. Fridericus II. non tantum semel aut iterum, sed tertium excommunicatus est? Cur Cunradus IV. ab Innocentio. IV. fulmine Papali per- cussus? Quid Clemens VII. nostra & patrum nostrorum me- moria aduersus Carolum V. Imperatorem fortissimum ten- tauerit manifestè ex libello, qui Coloniensi Commentatio- ni subiectus est, clucessit. Hi tamen omnes Imperatores, vt ipsimet Pontifices fatentur & laudant, Pontificiæ Religioni addicti fuerunt. Mitto iam alios Germaniæ Principes, quos multoties, cum libertatem Imperij tuerentur, sententia Pa- palii pro libidine sua Romanus Pontifex proscriptis. Mitto Gallorum reges multoties Papalis vindictæ gladio vexatos: Italiae Principes & Respubl. pari fulmine etas: Anglicanum ac Nuarraum, aliaque Europæ regna, Ducatus ac Prouincias eiusmodi Romanis excōmunicationibus afflictas. Nam quid amabo Pontifices sub prætextu fucatae sanctimoniaz & fictio Religionis zelo tentare vñquam non fuerunt ausi? Cui obse- cro Monachi illi friuola sua excommunicatione, etiam utique Catholico, nisi omnem obedientiam & demissam subiectio- nem Romanæ sedi polliceretur ac præstaret, pepercerunt;

Nonne

P R I N C I P E S G E R M A N I A E.

Nonne quosuis brutis suis fulminibus terrere & trucidare sub falsæ causæ allegatione tentarunt? Ast restiterunt, inquis, hi; neque sententia executionem habuit. Imò verò multoties hæ Pontificiæ censuræ, connuentibus aut adiuuantibus illis, qui omnibus viribus eandem maturé oppugnare debuissent, latè græssatae, Excōmunicationi innodatos Ducatibus, Comi- tatibus, vrbibus exuerunt & spoliauerunt, & in extrema peri- cula coniecerunt, ac nisi ab initio repressæ, plerunque maxi- mas clades Germaniæ, alijsque nationibus intulerunt. Ne- que vñquam Pontifici defuerunt, quos in proscriptos, eorūm- que prouincias dilacerandas & opprimendas incitaret. Et si plerunque maiores nostri maturè eiusmodi Papæ conatibus restiterunt, hoc posteritas benè, præclarè, & fortiter gestum non solum laudare, sed etiam in pari casu maiorum lauda- bile exemplum sequi debet, vt & subsecutura posteritas poti- us, quod in nobis collaudet, habeat, quām quod à nobis ne- glectum sit, conqueri poscit. Simili ergo ratione & hac nostra tempestate negligantur Romani episcopi fulmina, ac si, eitis- que ministri & Executores ab instituto desistere nolint, sim ille- ter etiam ferro, si res ita postulet, maturè iniuria propulsetur, nec tam facile ad mouenda & continuanda ciuilia bella, con- flanda foedera sacra in nostram perniciem ab Italo Pontifice nos incitari patiamur: ne qui alienis haec tenus viribus ob vir- tutem & concordiam maiorum nostrorū pro libertate patriæ nostraræ fortiter & constanter pugnantium labefactati non su- mus, nostris ipsi viribus ruamus, & exteris nationibus de nobis triumphandi occasionē demus. Sèpè maiorū nostrorū memo- ria emisso fulmine quodā Pontifex semina belli in Germania seuit. Verum Dei beneficio maiores nostri vel prudētia sua ve- nienti malo occurserunt, vel ingrauescentia bella fortitudine sua restinxerunt. Et an non hoc nostro tēpore eadem agitur fa- bula, saltem mutatis personis? Nonne vt robiq; eadem vertitur ratio? Cur ergo neque idem ius statuitur? Quapropter ô Impe- rij Proceres, Pontificis eiusq; executorum reprimite furores;

A D . P R I N C I P E S G E R M A N I A E.

ambitiosis ipsorum & sanguinolentis contra Imperij libertatem
fraudibus & machinationibus occurrite : jura vestra, optima
ratione sancta, fortiter propugnate: Optime quoque Electori Ar-
chiepiscopo, &c. alijsque Principibus, Comitibus, atque Baro-
nibus, Imperij vestri membris, hincinde ex tumultuario Pon-
tificis placito & excommunicatione de dignitatibus & hono-
ribus suis periclitantibus mature succurrite : neque; permittite,
Pontificem pro libitu suo in Collegi & Corporis vestri mem-
bra statuere, grassari, saeuire : ne aliquando vobis ipsis poste-
risq; vestris, immo vniuersae patriæ malum intolerabile lon-
ga patientia vestra peperisse videamini, &c. Bene

Valete & iam ipsam causæ Coloniensis

Commentationem æquis au-
ribus atq; animis co-
gnoscite.

ANALYSIS COMMENTATIONIS CAVSAE COLONIENSIS.

I. Quia non de Religione vel alia causa Ecclesiastica disceptatur: Sed de libertate Germanica in servitute redigenda et super omnes Imperij Proceres imperii nanciscendo. ubi in specie notantur:	II. Assumptio. Neq; in hoc negotio de Religione vel alia causa, cuius notio ad Pontificem spectet, tractatur: sed potius de libertate Germanica et Sacri Romani Imperij tollenda, et Monarchia Pontifica constituenda: quod demonstratur:	III. Exemplis.	I. Rationale. Longe enim aliud est Imperij Malleus: Aliud Sacrorum administratio: Hec Episcopi est: illa non item: Hec ab illa pendet, et sub illa continetur: non vice versa.	
			I. Venetorum. II. Florentinorum. III. Gallie Regum.	
II. Quia Sanciones de Religione et pace publica id postulant: quam commendatur	III. Necessitas. IV. Aequitas. V. Amplitudo. Quod pertineat ad personas tam Ecclesiasticas quam Politicas, quod manifesto apparet.	VI. Imperatorum	I. Caroli V. II. Ferdinandi. III. Maximiliani. IV. Rudolphi.	
			V. Archiducum Austriae. VI. Henrici. VII. Friderici.	
III. Idem probatur ex refutatione argumentorum, que afferuntur de profiso Iuramento.	I. Religio, ubi notantur quedam.	I. Quia Religionis causa armis agi sibi Barbarorum.	I. Quia Religionis causa armis agi sibi Barbarorum.	
			II. Si enim Religio causa esset, potius euerteret Iudeos: quos tamen, cum ipsum Summum agnoscant Magistratum, salvos relinquit.	
IV. Votis castitatis.	II. In specie. Nihil Truchsessum etc. contra praesertim Iuramentum deliquisse.	III. Ex circumstantiis temporum, circa quae sancte sunt.	I. Non n. Christus hoc dedit in mandatis apostolis suis.	
			II. De Prudentia ex gratia diuina. III. Eueritur doctrina Catholica. IV. De charitate. V. De efficacia Sacramentorum.	
V. Quia idem suadent futura.	I. Ostenditur Truchsessum, etc. nihil contra illud fecisse.	I. Juramenta aduersus Germanorum leges esse invalida. II. Non potuisse certam illius formam prescribi sine omnium, quorum interest, consensu.	I. Quia Pontifex probè novit Religionis Sanctitatem non à vi proficisci: neq; quicquam ferro aut flammis promoueri.	
			II. Ex verbis Legum. III. Ex mente illorum et ratione. vbi enim eadem ratio, ibi idem quoque ius.	
VI. Quia contra omne Ius et equitatem ab Archiepiscopatus administratione excluditur.	II. Voti Castitatis. vbi	III. Religionem et res diuinas cum Iuramentis nihil habere commune.	III. Ex circumstantiis temporum, circa quae sancte sunt.	
			I. Quia Iuramentum in futuram scientiam quem obligare non potest. Et quoniam Gebhardus Archiepiscopus, etc. iuramenti tempore arbitratus est illam doctrinam veram esse, recte iuravit: iam autem cum sibi aliter videatur nihil delinquit.	
VII. Quia idem suadent futura.	III. Respondetur obiectionibus, que offeruntur.	II. Quia subditis suis iuxta clausulas Iuramenti verbis appositam, quantum potuit et quantum salva conscientia licuit, doctrinam Catholicam commendauit.	I. Quia in Matrimonio castitas est: cum sit à DEO castissimamente institutum.	
			II. Quia castitatis alternativa sunt, aut prorsus ab omnibus feminarum complexu et cogitatione absinere: aut legitimè matrimonium inire: ex quibus alterum (ut I. Conf. docent) sufficit. quamvis illud magis ad perfectionem accedat.	
VIII. Quia contra omne Ius et equitatem ab Archiepiscopatus administratione excluditur.	IV. De exemplo Salentini, qui ductavxore Archiepiscopatum reliquit. Vbi 1. Ostenditur exemplorum diuersitas. 2. Viriusque factum defenditur.	III. Quia Ecclesia stice personae omnini iure recte matrimonia contrahunt, quod probatur.	I. Ex veterum Theologorum disputationibus. II. Ex exemplis. 1. Consulum et se-natorum Rom. 2. Augures, qui erant 3. Flamines. III. Ex mala consequentia eorum qui arguunt, Epicopum non debere esse vxoratum, eò quod reprobetur in ipso libido: immo hoc ipso, uxorem ducere debet.	
			I. De incommode que ex coniugio Ecclesiasticorum, ratione successione, permanare possent. quae refutantur in genere. II. De exemplo Salentini, qui ductavxore Archiepiscopatum reliquit. Vbi 1. Ostenditur exemplorum diuersitas. 2. Viriusque factum defenditur.	
IX. Quia idem suadent futura.	V. Commodi si fiat: et Gebhardus Archiepiscopus iterum in integrum restituatur.	I. Quia neq; bspq; reliquorum, ad quos res haec pertinet, consensu potuit. II. Et quod istio vitiosum est, neq; subsistit, nullo superveniente remedio potest stabiliri: Quemadmodum viuum prima concoctionis (ut Physici sentiunt.) non emendatur in altera.	I. Quia licet Capitulum Ius eligendi Archiepiscopum habeat: non tantum Ius habet remouendi. Sunt enim haec inter se diuersa, et diuersitatis ratio demonstratur.	
			II. Quia Pontificis Iurisdictio sanctis Legibus de Religione et pace publica, in Germania Proceres prospersus est sublata.	
X. Quia idem suadent futura.	VI. De exemplo Salentini, qui ductavxore Archiepiscopatum reliquit. Vbi 1. Ostenditur exemplorum diuersitas. 2. Viriusque factum defenditur.		III. Quia Imperator impios Pontificis conatus sententia sua definitiva nunquam probauit: sed solummodo, quemadmodum et reliqui Evangelici Proceres, ad pacifice viuendum author fuit et monuit.	
			IV. Quia neq; bspq; reliquorum, ad quos res haec pertinet, consensu potuit. V. Et quod istio vitiosum est, neq; subsistit, nullo superveniente remedio potest stabiliri: Quemadmodum viuum prima concoctionis (ut Physici sentiunt.) non emendatur in altera.	

DE CAVSA COLO
niensi Commentatio.

IN QVA OSTENDI
TVR CATHOLICOS IN GER-

MANIA ORDINES MAXIME OBLIGA-
gatos esse, vt potius Gebhardi Archiepiscopi Colo-
niensis quam Pontificis Romanicauf-
sam defendendam susci-
piant.

VARIA EST DE INSTITVTO GEBHAR-
di Archiepiscopi Coloniensis opinio: cùm alij cau-
sam probent, alij maximopere in eam invehanter.
In qua disceptatione animaduerti potest, quod
neutra pars sibi penitus constet. Nam alij ex Ca-
tholicis eo animo sunt, vt si quid ab Euangelicis et-
iam rectissimè dicatur, quod vel cum Imperij maiestate vel Germa-
niæ incolumitate coniunctum sit, id propterea repudient, quòd o-
mnia periculosa existiment, quæ nō à Romani pontificis cōfilio, tan-
quam à fonte promanarunt: Alijverò optimè intelligunt, quoties
de sacris dissensiones exoriuntur, libera judicia esse oportere: vt in-
teriorim Imperij dignitas minime negligatur, quam etiam à Pontifici-
bus specie Religionis nonnunquam labefactatam fuisse, prīscis an-
nalium monumentis cognouerunt. Hilicet sacrorum mutationem
non laudent: tamen si quid cum ea consociatum sit, quod ad Imper-
pj decus pertineat, id libentissimè amplectuntur. Euangelici
non minus inter se dissentunt: Nam sunt qui vtrumque sibi pro-
positum habēt, tum religionis puritatem, tum Imperij maiestatem:
quorū neutrum posse confidere vident: nisi Romanorum ponti-
ficum Tyrannis exterminetur: alij, modò religionis suæ cultum re-
tineant, in cæteris omnibus se Romano pontifici obtemperatu-
ros esse ostendunt: cui etiam summi principis locum in Christiana
Republica tribui posse existimant: nec animaduertunt, in maxima
istius Sacerdotis prauitate & ambitione & tyrannide, non posse v-

DE CAVSA COLONIENSI

Iam purioris religionis sanctitatem confistere: Alij factiosi & certis nominibus addicti, nullos contra pontificem defendendos esse putant, qui non vel easdem omnino sententias de singulis rebus amplectantur, vel vna cū illis eosdem doctrinæ Christianæ jnterpretes venerantur hi latissimas prouincias ab Euangelici cœtus corpore auelunt, & hostibus dilaniandas obijciunt, quo nihil potest fieri crudelius, nihil immanius.

Quod si vñquam opus fuit, vt Germaniaæ principes & cæteri ordinis rebus suis cōsulerent: maximè in tanta dissensione cauere debent, ne externis hominibus, ad Reip: statum conuelendum viam patefaciant. Evidem nihil magis à boni Ciuis & patriæ amantis officio alienum est, quām publica commoda propterea repudiare, quòd profecta sint ab ijs, qui de Religione diuersum quiddam persuasum habent: & nihil magis bonum virum decet, & magis salutare est, quām si ita à cultu sacrorum ab alijs dissentiat, vt tamen Imperij amplitudinem, vna cū illis, quoties res postulat, alacri animo tueantur. Quod si hoc animo omnes in Germania fuerint, non difficile erit videre, quid in Colonensi negotio fieri oporteat: qua de re pacis agere libet, vt meum erga communem patriam amorem qualicunque ratione déclarem.

Etenim video plerosq; Euangelicos ita de hac re loqui, vt alterius partis religionem penitus damnent: quod cùm ad animos Germanorum potius distrahendos, quām inter se deuinciendos mihi spectare videatur: non alienum esse puto, remota hac religionis controuersia, ita loqui, vt Catholici intelligent, si id, quod liberum cuique esse debet, relinquant, aliter eos facere non posse, quia vna cum Euangelicis ac Archiepiscopo Coloniensi Gebhardo pontificis Romanii impetus depellant. Nihil afferam, quod quenquam meritò offendat, modò vacuo ab omni perturbatione animo hęc mecum cognoscat. Neque verò dubito, quin homines Germani, ea libentissimè perpendent, quæ ad illorum tum decora, tum cōmoda in primis referuntur.

Quamobrem ita planè statuo, nō solum Euāgelicos justissimas rationes habere, vt tādem omnibus viribus Archiepiscopum Gebhardum defendant: sed etiam Catholicos ordines in Germania maximè obligatos esse, vt ad eiusdem propugnationem accedant, siue æquitatem rei, siue incommoda, quæ à pontifice, siue emolumenta, quæ à Gebhardi instituto in Germaniam redundare possint, obduclos

COMMENTATIO.

Ios collocauerint. Nam etiamsi reliquis Romanis sacris vñoreis duxit: tamen fas non est, vt idcirco pontifex eum de statu deturbet, cū id & Catholicæ Religionis præceptis, & naturæ principijs, & Germanorum legibus aduersetur: deinde Imperatoris maiestatem, Episcoporum & principum dignitatem, & omnium ordinum totius Germaniaæ incolumitatem euertati contrà vero Imperij Germanici decus maximè augeri possit, si pontificis insidijs ab omnibus ordinibus magno & constanti animo resistatur. At non decet, vt qui Catholici sunt à pontificis Romani sententia disrepent. Fateor hoc illud esse, quod maximè Episcopos & cæteros ordinēs Catholicos in Germania cōturbet, vt etiam illa probent, quia rebus minimè conducant. Tanta vis est prauæ opinionis, si illa animos hominum semel occupauerit, vt ad talia amplectenda multos impellat quæ cum extremo istorum exitio coniungantur.

At si quis attente sècum animo reputauerit, quid & pietatis & sanctitatis & equitatis ratio postulet, videbit sèpè incidere huiusmodi tempora, quibus rectissimè Catholici etiam priscorū sacerorum obseruantissimi, pontificis Romani conatibus obniam eant.

Nec vñquam maiores aliter iudicarunt, cùm non adeò densa caligine mentes obductæ fuerunt, vt non existerent fortissimi atque prudentissimi viri, qui pro Imperij maiestate, & decore, & Germaniaæ salute atque libertate, tanquam pro aris ac focis, aduersus pontificum Romanorum molitiones dimicarent. Quod si hit tantum sacerdos occupati, externarū rerum curam ablecissent, maximum nefas extitisset, tam sanctum & innocuum genus hominum lacefere. Posteaquam verò sensim Pontifices cōpere amplissimas regiones occupare, regnā sibi acquirere: Imperatores, Reges, & principes inter se committere, ex illorum dissidijs sua commoda querere: necesse fuit quādam adducti sunt etiam sanctissimi viri, modum aliquem istius statuere obseruantia, qua pontifices prosequerentur. Evidem aliud est Imperij, aliud sacerorum administratio: illud Cæsarum est, hoc Episcoporum: Imperij vero administratio ad vniuersam Christianam Rempub. pertinet, quæ vtrinque & religionem & Iusticiam complectitur.

Quamobrem & Religionis sacerdotes, vt sunt Episcopi: & justiciæ sacerdotes, vt sunt Reges & Principes, Imperatori subiecti sunt tanquam capiti Christianæ Reipub. à quo communis salus deriuatur. Non itaque recte & Imperator & pontifex tanquam duo mem-

DE CAVSA COLONIENSÍ

bra inter se comparantur: sed quoniam Imperator vniuersæ Christianæ Reipub. præst, & religionem Episcopi, iusticiam Principes curant; optimè quidem Romanus pontifex tanquam Episcopus cū Episcopo comparatur: sed non recte Pontifex Imperatori, membrum capiti, ad quatuor, multo minus anteponitur.

Hos verò gradus Pontifex cōturbauit, & ad Monarchiam adiūtum sibi muniuit, & Imperatoris summum illud omnia temperandi ius, ad se transtulit: vt demum vtrunque, tum sacra, tum prophana suo arbitrio moderaretur. Et medius fidius vniuersam Christianæ Reipub. confessionem Pontifices sustulerunt, vbi primum eos cepit ambitio, vt etiam cum Imperatoribus de summa dignitate contenderent. Hic fons est omnium perturbationum, omniū calamitatum, omnium bellorum ciuilium: quæ non tantum nostris temporibus, sed tot seculis Christianam Rempub. miserrimè affixerunt. Tolle hanc intollerabilem Pontificum ambitionem, tolle hanc impian cupiditatem, nihil vspiam restabit dissidiorum. Hæc enim sponte cessabunt, sponte tanquam flammæ non iactatæ morientur. Quare Catholicæ exorta aliqua controversia, diligenter attendant, num de Religione, an verò de sua Monarchia pōtīfex laboret: quod si animaduerterint, specie Religionis id agi, vt potentiam non recte acquisitam retineat, vel etiam augeat, nō temerè huic assentientur: sed illius insatiabili cupiditati atque libidini Christianæ Reipublicæ totiusq; Germaniæ incolumitatē tranquillitatemque anteponent.

Videmus Italos pontificijs sacris publicè deditissimos esse: veniam si pontifex alicuius Reipublicæ iura imminuere conaretur, non id ferendum esse existimarent. Nam Veneti, licet caussa Religionis pontifici nullum bellum moueant: tamen si vel patriarchatus Aquileiensis, vel alterius cuiusdam Ecclesiasticæ mādandæ ius ad se transferre ijs inuitis animum induxerit, nō verebuntur illius vim suis viribus propulsare.

Florentini olim in grauissimo bello, quod cū Pontifice Gregorio XI. gerebant, sacerdotes, qui metu fulminis Vaticani sacra peragere nō audiebant, eò adduxerunt, vt munus suum in omnibus templis ritè obirent: eoque hoc assecuti sunt, ne ciuium animis in diueras partes distractis, ipsius Reipub. vires inter ipsa arma debilitarentur. Animaduerrebāt prudentissimi viri, quando Reipub. dignitas ageretur, nō debere se aliqua superstitione duci, vt ius suum aduersus pontificem nō defendenter, aut Deiculum ab eo impediri posse cre-

COMMENTATIO.

se crederent. Nihil ego de Galliæ Regibus dicam: quilicet Catholice Religioni deditissimi essent: tamen nunquā æ quo animo passi sunt, vt obducto Religionis velo, Pontifices illorum iura imminuerent: Nihil de priscis nostris Imperatoribus referam, cùm ista notiora sint, quām vt hoc loco commemorari debeant.

Hinostræ ætatis Cæsares, inuictissimus & fortissimus Carolus V. sanctissimus Ferdinandus, prudētissimus Maximilianus, in diueris suis actionibus ostēderunt fas nō esse, vt semper Romanorū Pontificum cupiditati more gererent: cùm & Carolus cum Pontificibus bella constanti animo gesserit, & Ferdinandus & Maximilianus summas cum ijs controversias habuerint. Quid verò de eo, qui modò rebus præst, inuictissimo Imperatore Rudolpho dicam? vidi huius Legatos Romę, illustris. fortis. Principem Flacchium, Ordinis Iohannitarum in Germania summum Magistrum, & Hieronymum Tunnerum, ipsius Imperatoris Confiliarum, exquisitæ doctrinæ, magnæ prudentiæ, præclaræ fidei atque integratissimum virum: eram cùm illis in ijsdem ædibus. Nam ad Cardinalem Madrutium, quem honoris gratia nomino, Principem atq; herum meum omni genere maximarum virtutum excellentissimum diuerterat, qui eos pro sua consuetudine magnificè excipiebat, & splendidè tractabat, fermè totam æstatem nobiscum degebant: cuius moræ hæc causa erat: Pontifex cupiebat ab Imperatore sibi obedientiam præstari. Ita enim consuetudine receptum esse contendebat. Legati, plus quām in mandatis habebant, facere recusabant: Mandata autem erant huiusmodi, vt Pontifici obsequium vel reuerentiam, Ecclesia verò obedientiam pollicerentur. Missæ sunt ad Imperatorem hac de re literæ: Interim acriter pugnandum fuit Tunnero cum Cardinalibus, qui, vt eum in suam sententiam adducerent, vehementer laborabant, sed is nihil commouebatur. Tandem usque ab Imperatore obtineriposset, vt ab ea forma verborum discederet, quam optimi & laudatissimi Cæsares Ferdinandus auus & Maximilianus pater fecutierant, fecit, quod iussum fuit, & in publico Cardinalium confessu, Pontifici excelsō loco sedenti obsequium, Ecclesia verò obedientiam promittebat: Et in tota ista actione non tantum doctrinam & prudentiam, sed mirificam quoq; animi cōstantiam declarabat. Vīsa est hæc multis eo tempore in vrbe ridicula contentio, cùm hæc ipsa obsequij, & obedientiæ vocabula non ita multum discreparent. Sed Pontifex optimè intelligebat, quantum sāpè paruis

DE CAVSA COLONIensi

in rebus momenti esset, quitanopere de isto obedientia vocabulo nitebatur. In hac causa præstantissimus Imperator Rodolphus statim initio ostendit, se obligatum non esse, ut Pontificis subdito suo, obedientiam præstaret, quam sibi ab eo deberi intelligeret: & præclara fundamenta jecit, ut paulatim imperij decus, in integrum restituatur. Quid enim magis exoptari debet, nisi ut Pontifices definant Imperatoribus præscribere, quid agere oporteat, & in omnibus rebus expectent, quid amplissimus Germanici Imperij Senatus decernat: id si fecerint, vicissim Imperatores eos obsequio colent, hoc est, ut Episcopos Lateranenses venerabutur. Ad quam formam vbi omnia renocata erunt, non amplius tot fluctibus atq; procellis Christianum populum iactari videbimus.

Quare si noster inuictissimus Imperator Rodolphus non veritus est huic pontifici Gregorio XIII. refragari, cum ea sibi tribui peteret, quæ minimè tribuenda erant: & cum maiores illius, fortissimus Carolus V. cum Pontificibus bella gesserit, & sanctissimus Ferdinandus, & prudentissimus Maximilianus illorum conatibus sæpè obuiam jérint: cum id fecerint cæteri Austriacæ familiae laudissimi Imperatores, in eo quoque constantiam & prudentiam suam declararint: cum Henrici, cum Friderici, cum cæteri maxima bella contra eos moverint: cum idem de regibus Galliæ constet, constet de Italîs, & de Italorum sapientissimis, & Catholicæ religioni deditissimis populis Venetiis, & Florentinis: num quisquam in Germania Catholicorum Episcoporum, & principum atq; cæterorum Catholicorum ordinum hoc tempore in hac causa omnium maxima, qua totius Germaniæ tranquillitas, atque incolumentas continetur, dubitabit Pontificis Romani impijs conatibus se opponere, & contra illius infidias Truccesum defendere? Num verò pontifex de religione sollicitus est, & non id agit, ut rursus in Germania sumum Imperium in Cesarem, in Electores, & Principes & Ciuitates, sibi constituat? Quod si de religione agit, quid opus est armis? cur non amplissimi Senatus Germanici decretum expectat? equidem religionis termini non benè vi & armis proferuntur. Non enim villa inquam gens tam effera, & tam immanis fuit, quæ non rerum sacrarum cultum ad summi Numinis benignitatem reuocaret. Hoc enim omnibus innatum, impressum atque insculptum est, humana ab homine, diuina non nisi à solo Deo profici. Quocirca omnes gentes atque nationes semper existimarent, minimè fieri oportere, ut

COMMENTATIO.

re, ut vi & armis religiones disseminarentur. In qua sententia & Græcos, & Romanos fuisse accepimus. Neq; tamen magna admiratione dignū est, si hi, qui & prudētissimi & humanissimi extiterunt, naturæ leges incredibili studio obseruarūt, cùm etiam Assyrii, & Medi, & Perſæ, quos Græci Barbaros appellabant, eandem rationem sequi fuerint: & nos finitimam gentem Turcicam nō modò ut Barbaram, sed etiam ut crudelem & impiam detestemur: non tamē ad eum dementiæ gradū peruenit, ut hac in re nature principia conuelleret. Etsi enim Turcæ à Persis de religione dissentiant: tamen non nisi de Imperio inter se contendunt.

Quod verò omnes gentes & nationes, & olim intellexerunt, & nunc quoque hac nostra ætate exploratissimum habent, ferro ad religionem animos hominum non informari, solus Pontifex ignoraret? ego me herculè tantam inscitæ notam huic non inuram: agam illius causam: Apertè dico, quod cæteri sciunt, eum quoque scire, & eò melius, quantò exploratius esse necesse est, quod rerum tractandarum vsu toties cognouit. Quid ergo sibi vult? nihil, nisi quod cæteri omnes, qui ferro rem repetunt, & regnum petunt, & vadunt solidavì. Nam vt illi, sic quoque Pontifex de suo imperio laborat. Et quamvis Catholicis Imperatoribus, & regibus, & Principibus persuaderet, futurum, ut de statu deturbentur, nisi Catholicæ religionis propugnationem suscipiant: tamen id neq; religionis causa facit, neque vt benè Imperatoribus, & regibus, & Principibus consulat, sed vt eorum armis bonos opprimat, quod facilius postea in ipsos imperium exerceat. Evidem Iudæos neque Vulcano consecrat, neque vrbe expellit. Quæ huius rei causa est, cum tantopere in Euangelicos sæviat? num Iudæi heretici non sunt? aut si sunt, num Euangelici Iudæis deterriores existunt? sanè ita Pontifex statuit, nec immerito. Nam Iudæi, etiam si Christum Devi, & salutis nostræ authorem esse negent: tamen Pontificem suum Principem agnoscent: sed Euageli Imperium Pontificis abiiciunt, licet in Christo vero Deo & homine, omnis vita beatæ spem positam habeant. Non itaque tanti est, Christum contumelia afficere, quanti illud est à Pontificis Romani Imperio descicerere. Neque Archiepiscopus Pontificem offendisset, etiam si Iudæorum sacra amplexus esset, vel, si quid his sacris magis impium est: modò id occultasset, & illius Imperio obtemperasset. Libenter etiam huic, more Constantinopolitano, tot voxotes & concubinas

DE CAVSA COLONIENSI

binas concessisset, quot potuisset alere, modo in officio mansisset, & Pontificem magistratum suum coluisse, & talem magistratum, qui potestate etiam ipsum Imperatorem antecederet, & tanquam Sol in Germania, Imperatori tanquam Lunæ, omnem splendorem impertiretur. Certè eo si animo Archiepiscopus fuisset, etiam si Christianam religionē penitus in dubium vocasset: tamen inter amantissimos filios primum locum tenuisset. At postquam ausus est ostendere, se in Germania unum tatum summum magistratum venerari, Imperatorem, hunc verè Solem esse, à quo necesse sit, ut etiam Pontifex deinceps lumen accipiat: cum hoc Imperatore, se, & ceteros Electores proximè coniungi, & ad horum auctoritatem alios ordines accedere, qui simul omnes in amplissimo senatu communibus suffragijs ea possint decernere, quibus Imperij vires indies magis corroborentur: doli, & infideliæ pontificum arceantur: dissensiones tollantur: Christianæ Reipublicæ pax, otium, tranquillitas, leges, & iudicia & cetera omnia ornamenta restituantur: ibi pontifex se continere amplius non potuit, quin arma expediret, ne Imperij sui ius in Germania penitus amitteret, sed ut id, quod imminutum esset, recuperaret, & rursus ex animi sententia dominaretur. Non itaque de religione Pontifex sollicitus est, quæ armis minimè propagatur, sed de Imperio suo laborat: & Catholicæ Archiepiscopi, & Episcopi, & ceteri Catholicæ ordines tam imprudenti erunt, & tam incauti, ut Pontificem iuuent, & Archiepiscopum & electorem Germaniæ deferant: cùm ille omnibus viribus nitatur, vt Germaniam subiectam habeat: hic verò magno animo id agat, vt Germaniam seruitute liberet, & veterem honoré imperio reddat, & viam patefaciat, quemadmodum posthac earum rerum instituatur deliberatio, ex quibus non tantum in ipsam Germaniam, sed etiam in ceteras provincias totius Christianæ Reipub. salus & incolumentas, & omnis felicitas redudent.

Neq; verò solum cōsentientibus omnium gentium iudicijs, verumetiam Catholicorum sacrorum institutis repugnat, armis quemad religionis causa lacerare. Etenim Christus vita beatæ, & omnis sapientiæ fons, Apostolis in mandatis dedit, ut mortales docerent, monitis excitarēt, sanctitate vita, & laudabilium actionum constantia ad cupiditatem rerum diuinorum inflammarent. Nulla autem præcepta extant de ferendis bellis, devi & armis, quibus homines cogerentur: nulla etiam de Ecclesiasticis præfecturis, dignitatibus,

COMMENTATIO.

tatibus, & honoribus: ut ijs, qui Romana sacra coluissent, ornarentur: qui reliquissent, spoliarentur. Imò hoc modo Catholicae religionis vniuersa doctrina sustollitur. Quid enim de prouidētia Dei, & æterno illius decreto existimabimus, si Pontifex armis in beatorum numerum mortales aggregare poterit: ubi porrè erit gratia, & benignitas, quam mentis nostræ assensio excitatur, si id Pontifex in sua potestate habeat: quod erit nostræ iustitiae firmamentum, si ea, non diuinæ erga nos voluntatis constantia, sed Pontificis incerto Marte nitatur? quomodo fidem, & spem & charitatem tuebimur, si ea omnia à rebus externis pendeant: quid fiet Sacramentis, quibus pietas nostra corroboratur, si id melius armis efficitur? Denique vim cuiquam religionis causa facere, nihil aliud est, quam religionem è medio tollere. Quod cum Pontifex, velut religionis summus Interpres, non ignoret: tamen Archiepiscopum, quod à Romanis sacræ discesserit, exturbanum esse censem: & sciens omnium sacrorum fundamenta labefactari mavult, quam nō Imperium in alios obtinere. Quò adigit mortales immensa dominandi libido? quis vero Catholicorū non ab hac impia cupiditate abhorreat? quis non factum detestetur? præsertim cùm simul eam quoque legem tollat, quæ sola haec tenus totius Germaniæ tranquillitatem atque incolumentem conseruavit. Ideo enim saluberrima illa de pace religionis sanctio lata est, ut vis & arma cessarent: ne, si in nosmet ipsos multo sauiremus, communis patriæ vastitatem atque interitum machinaremur. Quæ si non extaret, tamen, quia ipsius ratio naturæ impressa atque infixa est, merito ad eam omnium harum controveneriarum iudicia, tanquam ad normam, reuocaremus.

Num verò, posteaquam necessario tempore iampridem constituta est, eam eripi patiemur, vt omni æquitate sublata, mutuis odijis atque dissidijs ad arma concitati, communis exitio Romani Pontificis Monarchiam stabiliamus? Et hoc Catholicæ probabunt, & auream bullam in ore habebunt, & ita loquentur, atque si eodem loco rursus essent omnia, quo olim fuerunt: an nō perspicuum est, commutato Reipublicæ statu, non ex ijs legibus, quæ extiterunt, sed ex ijs, quæ vigent, de rebus pronuntiari oportere? habebat Pontifex apud seculum prius sui Imperij quoddam ius: postquam verò hæc aurea Religionis sanctio, quasi diuinitus Cœlo lapsa, fluctuantem Rempublicam rursus in tuto collocauit, Pontificis summa potestas ad Imperij Senatum translata est, qui solus potest de Germanorum

DE CAVSA COLONIENSI

controversijs decernere, ea, quæ Reipub. in primis salutaria esse iudicabuntur. Hic nihil loci Pontifex habet. Num hoc est quod dololet? num idcirco arma induēda sunt, vt lex, Pontificis imperio adeō infesta, euertatur? num omnibus viribus incumbendum erit, vt armis praecipissima muneris societas, quæ Imperatori cum Electoribus, & cæteris ordinibus intercedit, penitus labefactetur? & ideo potissimum labefactetur, vt Pontifex suā illam priscam in Germania monarchiam recuperet? quid verò huic nobiscum rei est? cur per eum quieti esse non possumus? num sollicitus est de mentibus, & animabus Euangelicorum, ne pereant? ò salutis nostræ amantisimum Pontificem, qui beatitudinē non posse consistere existimet, nisi Electores & Principes suis possessionibus vi ejiciantur. Deponat sanè hanc nimiam curam, nec se tantoperè affligat, non se maret earum métium, atq; animarū caussa, quæ iam pridē sibimet ipsiis, prospexerunt neq; cupiunt, vt sua gratia tantum laboris exantletur.

Num verò Catholicorū patrocinium suscipit? at non opus est. Habent Imperatore, & Imperij Senatū, cuius patrocinio facile defendentur. Deinde Euangelici nulla iniuria Catholicos afficiunt, & Catholicī Euāgelicos nō lacebent, modò Pontifex nulla odia accendat. Legis enim, quā habemus, ea vis est, vt & Catholicī Euāgelicos, & Euangelici Catholicos fratrū loco ducāt: Et etiamsi certis opinib[us] inter se dissideant, ne tamen vlla voluptatū atque animorum dissensione conflictentur. Hæc quidem lex, quod æquum est, omnibus tribuit, nec aliud vult, nisi vt quod vni rectum est, alteri quoque rectum existimet. Tantam iustitiae æquitatem si nos Germani nō adhiberemus, recte faceret Pontifex, si ad eam colendam omnium animos excitaret: cùm verò in eā nostra spōte propendeamus, quid opus est, vt nos ē medio quasi cursu reuocet, & ad odia & arma accedat? num Pontifex ferre non potest, vt Catholicī Euangelicos tanquam fratres colant? At Mahometes Christianos fratrū loco haberi voluit. Pontifex, Mahometē homine barbaro immanior, prohibebit, ne Christiani Christianos fraterno amore prosequātur? at sunt hæretici, fateor, si id hæreticum esse vult, eos singulari virtute præditos esse, qui singularia quædam doctrinæ capita obseruauerint: quæ licet à Catholicorū sacrīs discrepare videantur: tamē quandoquidem vna cum Catholicis in vnius Christi benevolentia acquiescent: meritò quidem Catholicī eos, vt Germanos, hoc est, vt fratres amplectūtur: donec aut illi, horum doctrinā melius percipiantur.

vel

COMMENTATIO.

vel h[ic], illorum sententiā rectius intelligent. Ita, vel omnes erimus alii quādo Catholicī, & Pōtifex Imperij sui maiestatē in Germania recuperabit: vel omnes erimus Euāgelici, & Pōtifex quoq; pro sua singulare prudētia maiori parti assētietur, & viuemus cū boncompagno, vt optimi socij: & quicquid odij intercessit, ex animo delebimus.

Quaerendo de causa Pōtifex in Archiepiscopum impressionem facit, & tam plenam æquitatis, & pietatis legem conuelli? Num h[ec] ad Ecclesiasticos non pertinet? Pontifex equidē Catholicos in Germania eò adduxit, vt hoc ipsum in Comitijs laborent: sed Euangelicū unquam id comprobarunt. Ita vnius partis sententia cōmunis decreti loco haberi non potest. Neque vlla probabilis ratio est, vt legem Ecclesiasticis eripiamus. Quod si causa, propter quam lex lata est, ad Ecclesiasticos pertinet: an non etiam lex pertinebit? quare igitur lex sancta fuit? certè vt publica tranquillitas restitueretur. Cūm enim nō nulli ijs sacris, quæ à maioribus accepissent, multa accessisse existimat, quæ tanquā humana à rebus diuinis piè se iungentur: non veriti sunt rem aggredi, præfertim cū multa, vt id facerent, cohortarentur. Hinc orta est dissensio.

Nam cū illi simul quoq; Pontificis Imperium tanquam alienum à Christi institutis abiecerint: ea re Pōtifex mirum in modum conturbatus est. Qui verò in Germania erant, in duas partes discesserunt: Alij præsca sacra, vt à maioribus acceperāt, retinenda esse iudicarunt, licet Pontificis intolerabilem potentiam nō minus quam cæteri detestarēt: Alij verò & hanc infringebant, & quæ præterea vitiosa censerent antiquabant. Illi Catholicī: hi Euangelici appellati sunt: Non quòd hi quoq; se Catholicos dici non vellent, aut quod illi ab Euangelica doctrina abhorrerēt: sed quia illi Catholicū iudicarunt, quod maiorū suorum temporibus extitisset, Catholicī non nomen retinuerunt: Hi, quia ad Euangelicā doctrinā normam sua instituta potissimum se reuocare dicērēt, ex ea quoque re nomen acceperunt. Pontifex, qui æquo animo forsitan tulisset, etiamsi omnīa sacra abrogasset, modò illud de suo Imperio caput integrum reliquissent, nactus occasionem, vt ius suum defendere, eos, qui Romana sacra retinebant, in Euangelicos concitabat, ad hanc opinionum dissensionem occulta Principum odia accendebat. Natum est bellum, in quo victoria à Catholicorum partibus stetit. Sed postea ex huius belli reliquijs, maximum incendium coartum est, quo sanè conflagrassemus, nisi prudentissimus & patriæ

DE CAVSA COLONIENSI

amantissimus Imperator Ferdinandus, tanto malo saluberrimum remedium adhibuisset: quod cùm in libertate situm esset, vt quis posset impunè vel Catholicis, vel Euangelicis sacris adhærescere, ea libertas lege permitta est, vt Germaniæ otium restitueretur. An itaque hoc ad Ecclesiasticos non pertinet? num hos excludemus, vt iterum Germania perturbetur? At inaiores legem promulgarunt, vt bellum è medio tollerent: nos legis beneficio Ecclesiasticos priuabimus, vt bellum moueatur? Si Principes & reliqui ordines Germaniæ Pontificijs castris excesserunt, cùm nulla lex extaret, posteaquam extat, Ecclesiastici id facere non poterunt? Num verò necessitas solum legē extorsit, æquitas vero non suasit? minimè. quod enim necessitas postulabat, id quoq; vt fieret, æquitatis ratio in primis flagitabat. Etsi enim publica tranquillitas, & incolumitas totius Germaniæ hortabatur Imperatorem, & cæteros ordines, vt legem ferrent: tamen neque Imperator, neque Catholici Electores & Episcopi, & Principes, ad eam constituendam etiam summo periculo proposito compelli potuissent, nisi vt ita fieret, æquum & iustum, & literis sacris consentaneū esse existimassent. Videbant enim religionis sanctitatem, non nisi à diuina benignitate profici. Ideo statuebant rectum non esse, si vel vi, vel armis homines ad Religionis cultum amplectendum adigeretur. Perspexerant, nec acerbissimi tormentis, nec crudelissimis flammis, quas Pontifex adhibuisset, quicquam profici, quò minus quisque eum Religionis cultum trueretur, quem verum esse sibi persuasisset. Idcirco, quod tranquillitatis causa facere oportebat, id tantò libentius faciebant, cùm id ipsum quoq; omnium animis insita ratio, & literarum sacrarum maiestas, & sapientissimorum Theologorum autoritas, & experientia testis hortaretur.

Quod itaque necessitas iussit, æquitas hortata est, id cur in Ecclesiasticis locum habere nō volumus? Num honestum est, permisso Religionis cultu de honoribus & dignitatibus contendere? num dignitatem Religione potiorem esse ducimus? nihil sanè erit turpis; num honorum illecebris eos ad Catholicæ Religionis sacra amplectenda invitabimus? ea quoque re nihil fœdius. Non enim vlla pietas est, quæ honorum cupiditate ostenditur, sed pietatis impia simulatio: neq; præclarè admodum de sua religione existimat, qui illius assensionem præmijs excitari posse arbitratur.

Eaverò Germaniæ ratio est, & is rerum status, vt nulli professionem

COMMENTATIO.

fionem Euangelicæ Religionis damno esse oporteat. An verò damnum non est, dignitatibus & honoribus priuari? imò damnum tanto maius est, quanto grauius esse oportet, quod cum summa ignominia coniungitur. Non enim ciuis est Reipublicæ, cui ad honores via præcluditur: vel si ciuis est, infamem esse necesse est: & Pontifex tot principum, & Comitum, & Baronum, & Equitum, & Ciuiū liberos, tum exules, tum infames esse pronuntiabit? & isti ignominiam æquo animo ferent, neque vindicabunt? Sed interim quæ cæteri ciues, tributa pendent? cùm æquum sit, vt qui eadem onera sustinent, etiam ijsdem commodis perfruantur.

Num vero Lex de religione, lex erit, nisi otium Germaniæ conferuet? quomodo autē præstabit, si vnam partem ad dignitates euehat, alteram ignominia afficiat? hac enim ratione inimicitiarum, & dissidiorum & bellorum ciuilium semina vndiq; sparguntur, non tolluntur. Nam si tantoperè placet exturbare Colonensem, quia Euangelicus est: quid si altera pars exturbet Moguntinum, quia Catholicus est: exturbet Treuirensem, exturbet cæteros: num hoc quoque placeret? minimè. Non enim æquum est, vt Catholicus Archiepiscopus expellatur. Neque sanè vlla poterit esse tranquillitas, si non in pari caufsa, vtriusq; partis eadem sit conditio. Quod si Pontifex tantum Catholicis ad Ecclesiasticas præfecturas aditum esse velit, quid fieret, si nemo amplius in Germania Pôtificiam religionem coleret, sed omnes se ad Euangelicos conferrent? quoniam Germani commigrarent? Pontifex enim nouas colonias mitteret hominum Catholicorum, qui Ecclesiasticos principatus occuparent, & iij non ferrér subditos Euangelicos, nec hos dignos iudicarēt, quos vlla alia terra sustentaret. Omnes itaq; nauibus in altum Oceanum auctos submergerent, ita Germani paulatim Germaniam amitterent. Quæ cùm ridicula sint, merito etiam talia videri debet, ex quibus ista consequuntur.

Siuæ itaq; necessitatem rei, siue æquitatem intueamur, vtrunque ostendit, Euangelicæ religionis causa Ecclesiasticam præfecturam nemini eripi oportere: quod ipsum quoque altera lex confirmat, quæ de publica pace lata est, & legem de religione perspicè interpretatur.

Nam cùm nullam causam, quæcumque sit, tanti momenti velit esse, vt ob eam quis arma contra alterum moueat: certè etiam religionis causa id fieri prohibet; & nō minus Ecclesiasticos, quam

DE CAVSA COLONIensi

cæteros ordines complectitur. Non ego de hac replura dicerem, sed tamen quia nonnulla contra afferri solent, ne quis in ijs aliquid ponderis esse existimet, paucis, quam illa inania sint, exponam: vt eò magis Catholici sibi à Pontificijs insidijs cauendum esse intelligant. Iuramentum inquiunt, quod Archiépiscopus collegio dedit, Religionis sanctioni derogat: aut itaque præstet, quæ iurauit, aut Archiépiscopatum deponat. Mihi verò placet conditio. Quæ enim esset fœcietas mortalium, si non promissorum constantia, iuramentorumq; fides seruaretur. Neq; sanè Germanorum est fidem fallere, quorum autem illud quasi propriū sit, & Vngarorum ad Vernam clades testatur: & Bohemis nō deest, quod de hac reconquerantur. Quis verò iussit, vt iuramenta tanquā machinæ ad omnium Germanorū legem euertendam adhiberentur? num absq; alterius partis consensu iuramentorū formæ confici potuerunt? præterea, fas ne est religionem iuramenti stabilire? si vera est religio: quid opus est iuramenti? si falsa, rursus quid iuramenti opus est? cùm quisque vera per se amplectatur, nemo autem falsis, iuramentorum causa adhærescat.

Porrò, religio munus diuinum est: iuramentorum autem ratio inuenta est earum rerum caussa, quæ humanis viribus subiectæ sunt. Non itaque consentaneum est, vt ad res diuinæ stabiliendas adiungantur: vel si eò quoq; transferre placet, non plus exigent, nisi quantum humanæ vires patiuntur.

Iuramentum itaque professionis fidei, quod Pontifex in Germaniam introduxit; aut solūmodo fidem cuiusq; explorat, & rectè iurat, qui id iurat, quod sentit: aut etiam cōstantiam requirit, & non plus obligat, nisi quantum illius, qui iuratin potestate cadit. Equidem iuramenti ea vis non est, vt quis in posterum, quod sentit, non sentiat, & quod credit, non credat. Non enim religio ad iuramentum, sed iuramentum ad religionem reuocatur: cùm nemo credat, quia iurauit: sed ideo quisque iuret, quia credit.

Quare si eueniat, vt se falsis & impijs sacris adhærescere penitus animo statutum habeat: non poterit sanè vir bonus adduci, vt in ijs perseueret, etiam si mille iuramentis se obligauisset. At Catholice religio vera est? ita sanè videtur. Sed Euangelicus eam falsam esse statuit: recte, id ego nō dispicio: nisi quod fieri non possit, vt quæ falsa esse credit, ijs tanquam veris assentiantur. Iuris consulti aiunt, quod quisque ex animi sui sententia iuret, & licet veræ caussæ natura forsitan alia sit: tamen id eum iurare, quod credit & existimat.

Quare

COMMENTATIO.

Quare si hoc ipsum amplius non credit, iuramenti ratio minime eum astringit, vt quod non credit, tamen credat: quandoquidem id tale est, vt fieri non possit. Idcirco iuramentum nihil eiusmodi requirit. Quocirca immerito Archiepiscopus coarguitur. Nam iurauit eo tempore, cùm adhuc perfusum haberet ea vera esse, quæ ista iuramenti forma comprehendebantur. At postquam ea falsa videri cœpissent, non potuit adduci, vt quæ falsa iudicasset, ea tanquam vera comprobaret: Ideo minime dissimulauit, sed ingenuè præ se tulit: alterū ab omni suco alieni peccoris indicū est: alterum animum magnum, & generosum indicat: cùm id ipsum quod sentit, nullius vel incomodi, vel periculi metu deterritus, aperte profiteatur. Quod verò iuramentum vult, vt in Catholica religionis studio subditos contineat: nec in eo violati iurisfiriandi vestigium appetat. Nam clausula adiuncta est, quantum possit. Recordor amplissimum & excellentissimum Cardinalem Comensem, quem honoris gratia nomino, cùm certum negocium apud illum tractarem, & huius iuramenti difficultates, quod ad subditos, afferrem: clausulam illam monstrasse, vt ostenderet, non plus requiri, quām rectè fieri possit. Quod itaque Cardinales Romæ non faciunt, vt plus exigant, quām iuramenti ratio, & natura velit: id Catholici in Germania à quoquam flagitabunt:

Archiepiscopus, cùm Romanis sacræ fidem haberet, in eorum obseruantia subditos confirmavit, quantum potuit: ubi verò non amplius assentiretur, non potuit quoque subditis ea commendare, à quibus ipse abhorret: sed oportebat, vt suo exemplo ad Euangeliæ sacra eos inuitaret, quemadmodum antea suo exemplo ad Catholica sacra inflammerat. Interea tamen hoc præstat Euangelicus Catholicis, quod Catholicus Euangelicus præstabat, ne assentiendi libertatē impedit. Quare igitur Archiepiscopus ad villam conditionem præstādam adigitur, qui contra conditionē nihil molitus fuerit & iuramentū integrū seruauerit: cùm non plus iurauit, quām possit: nec minus quā possit, præstiterit. Et tamē nō defunt, qui perjurij mentionē faciant: cùm interim Pontifex nō aliā ob causam eū cupiat expellere, nisi quod adduci nō possit, vt illud perjurii committat. Nam si Catholicū se esse dicere, etiā si alia sacra animo cōprobaret, P̄t̄ifex maximē acquiesceret. Quid verò hoc aliud esset, quāscientem fallere? in quo vera perjurij ratio inest. Sed cùm Archiepiscopus ab eo abhorret, armā in illū cōcitantur. Ita planè res ipsa indicat.

DE CAVSA COLONIE NSI

indicat, ab Archiepiscopo iuramentum non violari, dum quod non amplius credit, ab eo discedit: sed tunc demum iuramentum eum violaturum esse, si Pontifici obtemperaret, & emolumēti gratia sciens falleret, & quod sentiret, minimē profiteretur. Quod si itaque periurium est, non facere id, quod Archiepiscopus facit: certè necesse est, ut in eo, quod facit, dictorum factorumque constantia maximē eluceat. Quid verò iniquius cuiquam potest accidere, quam si idcirco, quod periurium fugiat, periurij coarguatur.

Eadem ratio est voti, quo castitas promittitur. Non enim plus obligat, nisi quantū cuiusq; vires finūt. Anniti quidem debet is, qui vovit, ut primum illum gradū castitatis assequatur, ubi verò eō accēdere non potest, saltem id operam dabit, vt in secūdo gradu pedem figat. Primus autem gradus castitatis est, omni puellarum, ac fœminarum complexu penitus abstinere, quid dico abstinere? imo nec cogitare hac de re debet, modò summam pérfectionem velit assequi: quæ in solos languidos, & vietos Pontifices, & decrepitos capucinos cadit. Alter gradus castitatis est matrimonium: legitima maris & Fœminæ coniunctio, ideo instituta, vt soboles generetur, quæ & DEVm laudet, & hominum commodis inferuiat. Archiepiscopus, licet ad primum gradum non potuerit aspirare, tamen laudandus est, quod vxore ducta alterum gradum obtinuerit. Neque tantum Euangelci ita sentiunt, Ecclesiasticos posse cōiugia celebrare: sed etiam Catholici, qui à sophistica abhorrēt, fateantur necesse est, quod hæc Apostoli Pauli autoritate, & primæ Ecclesiæ testimonia comprobentur: & quidem in Germania principio cōsuetudine recepta fuerunt, & annaliū monumentis proditum est, maximas huius rei gratia contentiones à Catholicis sacerdotibus susceptas fuisse multo antè, quam vñquam religionis mutatio instituta fuerit. Et ne quid de Græcis dicam, in Hispania diuī Iacobi, cæterorumque ordinum religiosi milites, cùm initio votis astricti essent, ne vxores ducerent, postea votis soluti, matrimonia contraxerunt.

Omnis itaq; hæc ratio, non à diuino sed ab humano iure oritur: quod tale est, vt eadem conditione, qua statutum est, etiam abrogetur. Catholici hoc non inficiantur: tantum contendunt æquum esse, ne quis Ecclesiasticorum suo marte nuptias celebret, antequam Romani Pontificis autoritas accesserit. Sed hoc recte Catholicus catholico, non autem recte catholicus Euangelico dixerit. Nam cùm is Pontificia sacra penitus reliquerit, non amplius quicquam

COMMENTATIO.

quicquam pensi habet, quid Pôtifex de his rebus vel iubeat, vel prohibeat, sed ad id solum attendit, quid suæ religionis instituta postulerit.

Neque verò benè sentiunt, qui Episcoporum nuptijs, Ecclesiastici ordinis statum labefactari dicunt. Non enim Ecclesiastici ordinis dignitas in eo sita est, vt quis vxore careat, sed vt careat libidine, careat ambitione, careat avaritia, colat virtutem, pietatem, mansuetudinem, & humanitatem, & exerceat cætera charitatis officia, quibus Christiani animi potissimum inter se deuinciuntur: quæ licet ab omnibus requirantur, tamen maximē Ecclesiasticos decent, cùm non aliam ob causam eorum ordo institutus sit, nisi vt suo exemplo reliquos mortales à vitijs deterreant, & ad virtutem exhortentur. Quod etiam alijs benè constitutis rebus pùbl. nullum incommodum attulit, ex eo Christiana Respublica nihil detrimenti capiet. Quondam Romani Consules, & Senatores amplissima habebant sacerdotia: erant Pontifices, Augures, Flamines, & in ipsis bellis sacra peragebant, & tamen matrimonij fruebantur, & proli educationem suæ Reipub. saluberrimam esse iudicabant. Cur itaque nos tantoper metuimus, ne huiusmodi coniugijs publicus status euertatur. Num hac ratione fiet, vt Ecclesiasticae præfecturæ alienentur, & ad hæredes transfeant? ita quidem dicunt: sed hoc quod dicunt, necessariò non sequitur. Facile enim ne id accidat, caueri potest: nec quicquam tam solutum erit, quod non certis legum vinculis demum astringatur. At istis legibus non parebunt, male me herculè fecerint, si non pareant, & meritò quādō id accidet, plectuntur. Sed iam antequam horum aliquid factum fuerit, quæcausa est, vt quenquam accusemus?

Evidem Archiepiscopus, etiamsi velit, tamen, quod tantoper metuunt, ad id faciendum nullas facultates habebit: nisi & collegium, & reliqui quorum interest, assentiantur. Quod itaq; ab eo fieri non potest, cur illius accusatur, antequam ullum inditium extet: & cum in singulos dies longè diuersam suę voluntatis testificationem præbeat? Optat enim, vt totius collegij maxima consensione, huiusmodi leges condantur, quibus omnibus istis vel alienādi vel succedendi vijs occurratur. Sed principes rem suam agent. Sit sanè: non tamen laudabuntur, si quid agent, cuius non possint rationem reddere: nec accusari debent, antequam exploratum sit, quo consilio rem aliquam fecerint: & minimē rectum est, si quid initio com-

DE CAVSA COLONIensi

missum fuit, cùm omnia noua acciderent, nec satis adhuc intelligi posset, quemadmodum res benè constitueretur, vt istarum actionū inuidiam in hanc caussam transferamus. At, Salentinus, quem honoris gratia nomino, Archiepiscopatu decessit. Recte sane fecit, & optimi viri officio functus est. Cur non itaque idem Truccesius facit? Alia ratio est, & quidem vterque laudabiliter egit: Salentinus, qui vxoris caussa Archiepiscopatum prætermisit: & Truccesius, qui vxorem cum Archiepiscopatu coniunxit. Nam Salentinus iuramenti fidem fregisset, si vxore ducta Archiepiscopatum tamen gubernasset. Truccesius, etiamsi vxore ducta Archiepiscopatum administret, iuramenti tamen fidem minimè frangit: quandoquidem alter Romanę Ecclesię institutis fidem adhibet: alter Euangelicę religionis præceptis obtemperat. Iam qui credit fas non esse, vt Ecclesiasticus ducta vxore Archiepiscopatu administret, & hoc ipsum quoque iurat: is si aliter facit, iusfirandum violat, quādoquidem sciens fallit. Qui verò id quidem iurat, sed ad aliam postea notitiam peruenit, vt hoc non solum fas esse credat, verum etiam nefas, si aliter fiat ab eo, qui abstinentiæ donum non habeat: & hoc ipsum quod credit, etiam facit: non solum iusfirandum non violat, sed iusfirandi fidem maximè tuetur: cùm non plus iurarit, nisi quantum possit: & quod possit, minimè alicuius emolumenti caussa dissimulandum esse putet. Vt itaque Salentinus Archiepiscopatum deponendo integritatem præstet: Ita Truccesius Archiepiscopatum retinendo non minorem fidei, atque constantiæ laudem assequitur. Quod vero & pontificis insidias cauet: & pericula sibi proposita contemnit: & vim illaram forti & magno animo propulsat: & communis libertatis caussam defendit: & patria decora, & ornamenta strenuè tuerit: id mediusfidius tale est, quod omnibus seculis prædicari debet. Quod si virtus, etiam in hoste laudanda est: multò magis Catholici in homine Germano, tam singularem, generosi animi magnitudinem celebrabunt. Quid itaque opus est vt mentio fiat ab aduersariis stipulationum, conventionū, pactionum, transactionum. Num subditorum imminuit? nihil planè huiusmodi quisquam demonstrat. Quare omnis iste verborum strepitus non aliò refertur, nisi ad iuramentum professionis fidei, & ad votum castitatis. Vtrumque autem saluum & integrum esse ostēdimus, & ita saluum, & integrum, vt si Archiepiscopus id faceret, quod Pōtifax requirit, tunc demum.

COMMENTATIO.

demum iuramentum professionis fidei, & votum castitatis maximè infringeret. Quare si neutrum impedit, quò minus Archiepiscopus, vel ad Euangelica sacra se adiungat, vel vxorem ducat: iniquum est, quod Pontifex agit, neque laudari possunt, ea, quæ certi Capitulares instinctu Pontificis aduersus suum Principem moliuntur.

Etsi enim ius Electionis habeant: tamen ita habent, ne eo aduersus suum magistratum illegitimo modo vtantur. Nam aliud est Archiepiscopum eligere, quando nullus existit, aliud quādo superflues prouinciam non deposituit. Illud ius electionis certum & expeditum est, & multitudo suffragiorum victoriā assequitur. Hic verò caendum est magnoperè, ne illud ius temerè usurpatum, in crimen contumaciæ, atque rebellionis conuertatur. Nam etiam si vniuersum collegium suo Archiepiscopo resisteret: tamen iudice opus foret, qui prius caussam disceparet, antequam ad alium cooptandum cōuenirent: iam verò præcipui ex collegis in officio perseverant, reliqui descierunt: & hos Archiepiscopus vt contumaces & rebelles accusat: & qui in officio manent, de ijsdem conquerūtur. Ideo multò magis decuisset iudicem hūc prius auditum, antequam de alio in consilium iuissent.

Neque verò consentaneum est, vt quibus Archiepiscopi & Electoris constituendi facultas sit, ij quoque remouendi absolutum ius habeant: cùm ad designandum, collegij suffragia sufficient: ad remouendum, parum valeant, nisi etiam aliorum autoritas accesserit. Nam qui designatus est, cùm initio collega esset, postea fit magistratus: qui non nisi Cæsarem superiorem agnoscit, & certo vinculo cū cæteris Eleitoribus deuincitur: & cui non tantum Capitulum, sed etiam subditi vniuersæ istius regionis sacramento fidelitatis obstristi sunt: Ita ad eligendum solius Collegij, & quidem maioris partis suffragia satis ponderis habent: ad remouendum non tantum collegij, sed & Imperatoris, & Electorum Imperij, & subditorum, maximè Comitum & Baronum, & equestris ordinis cōsensus requiritur.

At Pontifex supremus Iudex est, qui Truccesium priuandum esse existimauit. Hoc quidem præclarè diceretur, si res eodem statu esset, quo olim fuit. Verūm sanctalege pacificationis, ius Pontificis in Germania eò vsque sublatum est, donec rursus vnius religionis studio consociemur. Nam si Pontificiæ religionis consensio exorietur, Pōtifax rursus in Germania Imperator erit: sin verò Euangelicæ religionis consensio efflorescat, excluso bono Pontifice,

DE CAVSA COLONIENSI

noster Imperator, vna cum amplissimo Senatu summum Imperium assequitur: Interea Pontifex exorta cōtrouersia, iudex minimē erit, cū pars sit eorum, qui litigant. Sed demis, quōd priuandi ius habeat: tamen illius terminos vltterius prorogare nō potest, quām rerum sacrarum fines monstrant. Nihil itaque aliud ager, nisi vt Archiepiscopo sacris interdicat: id autem quanti aestimet, ex eo patet, quōd sua sponte ab ijs sacris discesserit: quid autem hoc ad principatum, cuius supremum ius penes Cæfarem est, & Imperij Senatum: vt nihil ratum habere oporteat, nisi quod illi communi consilio determinārint.

Sed Pontificis sententiam etiam Cæsar probauit: verum est, probauit vt Catholicus, & vt Catholicus monuit, vt huic obtemperaretur: Neque hoc in Imperatore longè optimo reprehendi debet, sed potius laudari, quōd suæ religioni faueat, vt malit Romanorum sacrorum cultorem Archiepiscopum existere, quām eum, qui ab his sacris discesserit: quemadmodum rursus idem in Euangelicis Electoribus, & principibus, & cæteris ordinibus maximoperè prædicandum est, si gaudeant Archiepiscopum ad illorum sacra se aggregasse, cuius autoritate & prudentia res Euangelicorum indies magis stabantur. Natura enim hoc affert, vt quisque in eos maximē propendeat, cum quibus eiusdem religionis societas intercedit. Nec ego is sum, qui cupiat Catholicis persuadere, vt Archiepiscopū collaudent, quōd ad Euangelicos se contulerit: hoc enim tali modo fieri non potest: cū quisque sua sacra alterius sacris anteponat. Idcirco mihi propositum non est, de hac re, vel in hanc vel in illam partem differere: tantum ita statuo: licet Catholicorū & Euangelicorum de Christiana religione discrepantes opinione, & sententiæ existant: tamen æquum esse, vt cū Germani sint de religione quidem inter se placide disceptent, & id quod maximē verum est, exquirant: attamen de Imperij dignitate, atque maiestate amplificanda idem sentiant, idem velint, idem optent.

Non igitur male Imperator, qui vt Catholicus, Pontificis sententiam probarit: qui monuerit Truccesum, vt mallet alteri prouinciam tradere, quām eam sibi retinere: qui etiam reliquos Electores & principes hortatus sit, vt in eo sibi assentirentur: hęc enim omnia Catholici Imperatoris officia sunt: quemadmodum contrā Euangelicos Electores in primis decuit, quōd Truccesij patrocinium in se receperint, quod institutum illius collaudarint, quod voluntatem suam

COMMENTATIO.

suam in eo defendendo apertè ostenderint: & quemadmodum Imperator suo facto maximam laudem constantiæ, atque pietatis assecutus est: ita maximam quoque laudem constantiæ, atque pietatis suo facto Euangelici Electores sibi pepererunt. Non enim existimus vnamquamque partem suis deditam esse non oportere: immò id quoque magnoperè prædicamus: sed vi & armis Archiepiscopum de possessione à Pontifice deturbari, id iniquum esse dicimus. Quocirca neq; Imperator id probat, neque Euangelici Electores assentuntur. Nam Imperator mandauit hactenus, vt vtraque pars armis deponeret: & Euangelici Electores idem censuerunt, vt armis depositis omnis controuersia amplissimi Senatus decreto compeneretur. Non igitur Imperator villam sententiam de hac causa pronunciauit, neque absque alterius partis consensu pronunciare potuit. Et quamuis Eræsti Bauari optimi sanè, & multis virtutibus ornatisimi Principis cauſa faueat, tanquam Catholicus: tamen armis rem geri noluit, & vbi animaduerterit pontificis institutum edendere, vt religionis specie Germaniam in scrututem adducat, & rursus summum Imperium acquirat: proculdubio laudatissimi, sanctissimi & prudentissimi aui sui Imperatoris Ferdinandi exemplo ea statuet, non quæ Pontificijs rebus accommodata sint, sed quæ concordia & Germanici Imperij in columitati, dignitati, atque amplitudini in primis conducere videbuntur.

Quare si neq; pōtifex faneita lege pacificationis, Iudex esse postest, neque Imperator vim fieri velit, & tamen Pontifex Archiepiscopum armis de possessione deturbandum esse censeat: nonne recte Catholici hoc factum detestabuntur, & vna cum Euangelicis Archiepiscopum defendant? Etenim quoties de sacris iure disceptatur, vnaquaque pars suis auxilio esse debet, quantum res finit: sed vbi ad armamentum est, & vis infertur, vtriusque partis coniunctis copijs defendendus est is, qui armis læditur. Id si Germani fecerint, quemadmodum vt faciant, obligati sunt: aduersus omnium hostium infidias, atque impetus mundi, non solum id assequentur, vt patriæ incolumitatem conseruent, sed etiam vt Imperij dignitatem atque amplitudinem indies magis augent.

ALTERA PARS DE IN.
COMMODIS QVAE IN GER-
MANIAM REDVNDABVNT,
nisi occurratur.



STENDI, QVANDO PONTIFICES SIMULATIONE CATHOLICÆ RELIGIONIS DE REGNI SUO POTENTIA LABORANT, CATHOLICOS ELECTORES, EPISCOPOS, PRINCIPES & CÆTEROS ORDINES RECITISSIMÈ FACERE, SI FILIUS CUPIDITATI NON SOLUM NON OBTEMPERENT, SED ETIAM OMNIBUS MODIS OBSISTAT: DEINDE EXPOSUI, QUAM IN HAC COLONIENSÌ CAUSSA MANIFESTUM ATQUE PERSPICUUM SIT, NON DEFACRIS, SED FUSO IMPERIO PONTIFECM LABORARE: CUM BELLUM CUIQUAM RELIGIONIS CAUSSA FACERE, & OMNIVM NATIONVM & POPULORVM IUDICIJS, & CATHOLICORVM SACRORVM DECRETIS, & GERMANORVM LEGIBVS INPRIMIS ADUERSETUR: IN QUIBUS SINGULIS NON RELIGIONIS ARDOR, SED IMPERIJ CUPIDITAS MAXIMÈ APPAREAT: & QVIA DE IURAMENTO, DE VOTO CASTITATIS, & MATRIMONIO NONNULLA CONTRÀ AFFERRI SOLENTE: DE HIS QUOQUE EA DIXI, EX QUIBUS FACILE INTELLIGI POSSIT, QUAM NON RECÈ HARUM RERUM GRATIA ARCHIEPISCOPUS COARGUATUR: & QUAM INIUSTÈ NONNULLI CAPITULARES PONTIFICIS IMPULSU MAGISTRATUI SUO REBELLENT: CUM NEQUE PONTIFEX POSTQUAM LEX DE RELIGIONE PROMULGATA EST, IUS VLLUM IN GERMANIA AMPLIUS HABEAT: NEQUE IMPERATORVM FIERI VELET: NEQUE DE IPSA CAUSSA PRONUNTIAUERIT: NEQUE ABSQUE CÆTERORVM ORDINVM CONSENSU QUICQUAM DETERMINARE POTUERIT: QVÆ OMNIA AD AEQUITATEM CAUSSÆ PERTINENT.

RELIQUUM EST, UT DE INCOMMODIS VIDEAMUS, QVÆ EX HIS PONTIFICIJS ACTIONIBUS IN AMANTISSIMAM PATRIAM REDUNDABUT: NISI CATHOLICI VNÀ CUM EUANGELICIS A COLONIENSÌ ARCHIEPISCOPO CRUDELISSIMOS ROMANI PONTIFICIS IMPETUS PROPELSENT.

QUID VERÒ ID EST, IMPERIJ PRINCIPEM, & QUIDEM ELECTOREM ARMIS DE POSSESSIONE EXPELLERE? QUI HOC SE POSSE OSTENDIT, AN NON PROFITETUR SE IMPERATOREM ESSE: CUM HOC SIBI ARROGET, IN QUO IMPERATORIS & AMPLISSIMI SENATUS MAESTAS POTISSIMUM CERNITUR? QUID TURPIUS, QUID FœDIUS, QUID INFOLÉTIUS VNQUAM AUDITUM FUIT, QUAM EXTERNUM HOMINEM, HOMINEM SACERDOTEM, & TALEM SACERDOTEM, QUI IURE DIUINO & HUMANO IMPERATORI & AMPLISSIMO IMPERIJ SENATUI SUBIECTUS

COMMENTATIO.

subiectus est, tantos sibi spiritus sumere, vt ab huius corpore præcipuum membrum auelleridum esse existimet? Quis vnquam audiuit, aut vidit, aut legendis veterum monumentis cognouit, ullam Remp. exitisse, qua tantam immanitatem æquis animis tolerauerit? AN ADHUC SANI SUMUS IN GERMANIA: QUI, QUANTUM IN EA RE VITIJ INFIT, nondum perspiciamus? Quis verò deinceps impedit, ne ijsdem machinis, quibus Archiepiscopum modo lacescit, ipsum Imperatorem aliquando aggrediatur? Evidem tanta similitudo est, vt ne quidem lac laeti similius esse poscit. Nam vt Archiepiscopatus dignitatem à se ortam esse dicit: ita maiestatem Imperij à se ad Germanos translatam esse affirmat: & vt sibi acceptum ferri vult, quod collegium ius Electionis habeat: ita principum Electorum ius à se constitutum esse gloriatur. Sed quid de hac cognatione loquor, cùm non notum sit, quid olim acciderit? Quare si his principijs nemo obstat: me hercule nostros Imperatores eadem libertate excipiet, atq; nunc Archiepiscopum tractat: Maxime si erit eius generis seculum, vt boni & religiosi Electores Pontificis fulmina metuant. Evidem confido. Deum magis propitium Germania fore, quam vt animos nostros tanta caligine offundi sinat, vt iterum Pontifici, ad tantam dementiam aditus pateat: tamen in tempore prouidendum est, ne minus cauti in tatas calamitates denuò nostra sponte prolabamur. Nam qui Archiepiscopum vno Pontificis nuncio, & vna literarum significatione depellendum, & alium constituendum esse putat, ad tam crudelē tyrannidem viam munit. Non enim planè ignotum est, quomodo Pontificis iura acquirantur. Quod semel obtinuit, id semper fieri oportere statuit: & quod in vno succedit, hoc ad omnes pertinet. Conscendente eo mulum, fortè frenum aliquis Imperator declarandæ obseruantæ cauissa tenuit: Illud in Codicem cæremoniâlum relatum est: Omnes Imperatores frenum teneant necesse est. Alius stapedam apprehendit: in Codicem relatum est. Postulatur ab omnibus Imperatoribus, vt Pontifice descendente, stapedam apprehendat. Alius oblongam togæ caudam, cùm sacrâ interesseret, manu subleuauit: iterum in Codicem relatum est: omnes Imperatores caudam Pontificum subleuent oportet. Neque tantum de freno & cauda agitur: omnia sibi iura Pontifex his artibus peperit: Imperatorem conculcauit pedibus: ius se habere putat, vt omnes Imperatores pedibus conculceret: filium cōtra patrem armarit, vt vtrunq; oppimeret: omnes Imperatores & imperatorum filios se eodem

DE CAVSA COLONIENSI

se eodem modo tractare posse existimat. Huiusmodi nonnulla in atrio, quod Romæ facello pontificis contiguum est, affabre depicta sunt, ne istarum tupissimarum actionum memoriam vlla vnuquam deleret obliuio. Et hæc satis indicant, quæ Pontifices tendant, si nō in tempore illorum intolerabiles libidines comprimantur.

Quare si Pontifex vi Archiepiscopum expulerit, duobus modis Imperatoris maiestatem violat. Primùm quod id sibi arrogat, quod solum in Imperatoris, & amplissimi Senatus potestate situm est: deinde quod sibi ius constituit, quo etiam aduersus Imperatorem vtatur. Sed & Electoribus, & Principibus omnibus istius crudelissimæ seruitutis periculum imminet. Etsi enim Catholicæ Romanae sacra colant: tamen facile eos aliarum rerum causa possessiōnibus ejaceret. Neque verò Euangelici Imperatores & Principes existimare poterunt, hæc nihil ad se pertinere, etiam si numero Ecclesiasticorum non recenseantur. Etenim si æquo animo ferrent Pontificem sensim lentis, & tacitis gradibus irreperere, vt tantum virium recolligeret, quæ antum ad eos lacestendos satis esse putaret, illorum posteri ipsa re sentirent, cuiusmodi similitudinem omnium Principum status, cū Coloniensi causa haberet. Proh. D^ev^m immortalē, quām speciosa, quām splendida in medium adduceret: quām præclarè de aurea bulla differeret, & de Catholicis & Romanis sacris, quibus tanquam fundamento omnes Electoratus, & principatus vniuersæ Germaniae niterentur. Quid non Imperatori mandaret: quid non regibus? quid non omnibus Catholicis Archiepiscopis, Episcopis & Principibus, vt istos hæreticos tanquam pestiferos totius Christianæ Reipublicæ hostes radicitus exterminaret? Quid de cæteris ordinibus loquar? ad Comites, & Barones, ad equites, ad ciues istarum rerum calamitas permanaret. Nam Catholicorum filii, qui ad Ecclesiasticum vitæ genus animum adiungerent, in istas plagas omnes inciderent, qui verò Euangelici existerent, eodem crimen, quo reliqui condemnarentur.

Non mihi præclara exempla deessent, quæ paucis his anis cōtigerunt, quibus vberimè ostenderem, quantum sibi iuris in Germania Pontifex usurpet: sed quia etiam alia nōnulla implicata sunt, quorum non libenter mentionem facio, ista reticenda erunt. Illud constat Catholicis Episcopis. Non igitur hæc tam ad eos, quibus ista euenerunt, quām ad totius Germaniae amplitudinem, otium, & quietem, ad omnia ordinum & Catholicorum & Euangelicorum incolumenta-

COMMENTATIO.

incolumentem, & salutem, & vniuersitatem familiam, domum, comiugem, liberos, omnesque fortunas pertinet. Quid enim tandem aliud futurum est, nisi vt manibus & pedibus colligati, & Romam abstracti acerbissimis cruciatibus dilaniemur. Nam hoc quoque factum esse, inficias ire non possumus: quæ omnia propter certas causas non refero, sed relinquo tacitis cogitationibus illorum, qui hæc explorata habent: cæteri verò coniecturam facient ex ijs, quæ modo diximus, quid nobis expectandum sit, maximè si etiam peiora, & crudeliora restent, quæ non commemoramus.

Neque spes est, si iterum in casses redigamur, mitiorem nobis pontificem fore, quām olim fuit. Imò tantò durior erit, quantò majoribus & arctioribus vinculis opus esse iudicabit, ne iterum in causam libertatis ingrediamur: & vt vehementius laborant, qui postquam morbo liberati videbantur, denuò in eum cadunt: ita nos qui acerbissimæ seruitutis iugum depulsum esse credebamus, ybi sub illicet pedetentim reducemur, longè maiorem, quām vnuquam antea misericordiarum atque calamitatum molem sustinebimus. Idcirco non nunquam conturbor animo, quoties video plerosque adeò securos esse, vt nihil horum metuendum esse putent: hi iudicium ex eo faciunt, quod non amplius tam diuersa per Germaniam indulgentiarū vestigalia exerceantur: quam abstinentiam perpetuam fore sibi persuadent: nec animaduertunt id fieri non aliter, atque si quis vno anno agros non colat, vt in sequentibus annis fructus tantò vberiores & cumulatiores ferant. Evidem quod nos modò non soluimus, id posteri duplo pendent, nisi caueamus.

Neque verò Pontificem tantoperè reprehendo, quod his artibus vtatur, cùm res tam bene succedat. Ego, si Pontifex essem, & non ita magnis sumptibus imperium possem constituere, eandem occasionem vgerem, præfertim si gentem adeò piam & religiosam depræhenderem: quæ se circumueniri & ludibrio haberi æquo animo pateretur: imò quæ tantò maiore me honore afficeret, quantò grauioribus eam oneribus in officio continerem.

Principio nos principum vxores mulceremus, qua re nihil potest esse fructuosius. Sunt enim natura religiosæ: & si accedat socius aliquis Iesu, tanquam magister pietatis atque mansuetudinis, facile in quamcumque sententiam adducerentur: his mitteremus non nunquam dona, sed huiusmodi, quæ nō magno constarent, vt agnos Dei, & rosaria: quibus pro dignitate cuiusque certas indulgentias

DE CAVSA COLONIensi

adiungeremus, earumq; vim atque potestatem in primis commen-
daremus, vt nostra munera rebus etiam charissimis atque præstan-
tissimis anteponerent. Deinde horum operā anniteremur, vt o-
mnium Principum Catholicorum supremos aulicos cognoscere-
mus, qui nobis fauerent, qui aduersarentur, vt hos in odium addu-
ceremus, illorum erga nos obseruantiam indies magis confirmare-
mus. Præterea ipsos Principes nonnunquam pecunia subleuare-
mus, sed parcè: ne fons benignitatis exhaustiretur: & frustulatim, ne
quicquam ex ea re commodi perciperent, & tamen certis interual-
lis aliquid accipiendo, expectatione maioris subsidij in officio per-
manerent. Ita quicquid nobis placeret, absque vlla difficultate exe-
queremur: vel per aulicos proceres: vel per illustrissimas nostras fi-
llias Principum coniuges: vel per ipsos Principes, cùm sua sponte in
nostram caussam propenderent: & hos quidem assuefaceremus, vt
in omnibus rebus à nobis consilium peterent. Nihil sanè rebus no-
stris aptius foret. Nam ea præscriberemus, quæ nobis haud incom-
moda acciderent, & hæreticis extirpandis prouinciarum admini-
strationem ad nostrum arbitrium reuocaremus. Præterea mittere-
mus, qui omnibus Comitijs imperij deliberationibus, & actioni-
bus se miscerent, & quicquid arcani esset, ad nos perscriberent: vt si
quid conduceret, citius perfici curaremus: si quid obesset in tempo-
re impidiremus: ne quid, quod illorum rebus maximè accommo-
datum esset, determinarent.

Principio apostolicæ sedis statum maximè affixerūt literarum
studia: cùm è Græcia in Italiam commigrarent homines variarum
artium disciplinis exculti, qui Italorum animos ad priscæ sapientiæ,
& elegantis doctrinæ cupiditatem inflammarent, quod malū etiam
in ipsam Germaniam permanauit. Antea in Academijs & Gym-
nasij viuebant huiusmodi Philosophi & Theologi, qui omnem Phi-
losophiæ & Theologiæ scientiam in minutissimos articulos, & qua-
si atomos quosdam Democraticos communuerunt, & quamuis Ari-
stotelem nunquam serio inspexissent: tamen ijs, ex subtilium magi-
strorum commentarijs, tot textus, tot quæstiones, tot problemata,
tot veritates, tot maximæ, tot distinctiones, conclusiones, corolla-
ria suppetebant, vt nunquam deesset, quo suorum auditorum aures
indies circumsonarent: Eandem rationem in Theologia explanan-
da sequebantur. hæc studia Romanę Curię accōmodatissima erant.
Nihil enim magis sedis Apostolicæ amplitudinem conseruat, quam
densa.

COMMENTATIO.

Densa caligine obducta Sophistice, morū & virtutum & ciuillium re-
rum ignoratio: veterum exemplorum, omnisq; antiquitatis obli-
uio: contrà autem solidæ Philosophiæ & veritatis inuestigatio, & ho-
nestatis, & politicae doctrinæ scientia, & veterum annalium, & mo-
numentorum cognitio maximè aduersantur. Et hoc eò magis, si &
oratores, & poetæ accesserint, qui his omnibus lumē quoddam in-
ferant.

Etenim his artibus Germani exculti instrumenta sibi compa-
rarunt, quibus pontificio regno vastitatē malirentur. Nam vbi
cœperunt repetere memoriam priscorum temporum, & istius mo-
narchiæ initia, & progressus, totamq; formam animo contempla-
ri: nihil tam firmum, nihil tam munitum fuit, quod non suis machi-
nis expugnandum esse ducerent. Hæc itaque è medio tolleremus,
vt nostri Imperij suavitate rediūs perfrueremur. Ne verò consilium
animaduerti posset, hærefoes extinguendæ caussa ista fieri promul-
garemus, & nostris Iesu socijs omnium Academiarum administra-
tionem, ius atque arbitrium committeremus: sic, dum literarum
interitus animo destinatus esset, literas nos Apostolica benignita-
te fouere sibi vulgus persuaderet.

Nam huiusmodi artificio vtendum esset, vt aliquid præclarè
conficeretur. Etenim Iesuitæ in suum gregem pellicerent, quot-
quot excellenti ingenio prædicti essent iuuenes: eosq; à veris sapien-
tiæ studijs ad quæstionum suarū articulos & culicum passus, ad ma-
terialitates & idenditates, & actus & potentialitates, fundamentali-
ties, quidditates, entitates, realitates, rationabilitates, & Angelici-
cas, seraphicas, & subtile formalitates traducerent, reliquos vero
literatos homines ad arbitrium suum vocarent: cùm nemo philo-
sophiæ scientia eruditus videri posset, vel ad honores emergere, cui
non socij nostri, doctrinæ, atq; Romanæ pietatis testimonium præ-
buissent. Ita dum higratia atque autoritate vieti tacerent, & illi ar-
nearum telas considerarent, nihil planè detrimenti à studijs profi-
cisceretur: & nos paulatim artes nobis infestas è medio tolleremus.
Ad hanc rem per Germaniam Gymnasia constitueremus, quæ no-
bis duplē fructū afferrent. Nam & Germani à teneris huius-
modi opinionibus imbuerentur, quæ ad regni nostri dignitatem
in primis pertinerent: & simul efficieremus, vt tantò magis crederet,
nos bene erga illos animatos esse, qui eorum studijs tam liberaliter
sumptus suppeditaremus. Non enim parum est in fructuosem, si

DE CAVSA COLONIENSIS

nos istius nationis amantissimos atque studiosissimos esse simulareremus: cum facilius homines amicitiae nomine in casses pelliceantur.

Sunt autem hoc tempore multi in Iesuitarum societate, qui optimarum literarum disciplinis animum non mediocriter excoquerunt, neque tamen omnes istius ordinis praceptis eam doctrinam assediti sunt: verum ab illis initio tincti, postea delectati otio, se ad illos aggregarunt: quorum auctoritate, etiam ceteri, licet adeo periti non sint, vulgo tamen amplissimae scientiae famam atque opinionem, de se concitarunt: & horum nonnulli ita grauiter incedunt, atque cœlum humeris suis sustentarent: quæ licet partim, ut inquit agnosceremus, partim ut inepta in sinu riederemus: tamen quia nobis valde conducerent, Apostolicæ nostræ auctoritatis robur libenter ijs impartiremur. Nam qui excellunt, eorum modò opera contra haereticos vteremur: alij in Gymnasijs docerent: alij libros cuderent: alij ad reges & Principes accederent, ut foedera conciliarent: quemadmodum facit Possevinius, cuius opera Gregorius XIII. Regem Sueciæ ad obedientiam sedis Apostolicæ studuit reducere: cuius opera inter Poloniæ Regem & Magnum Moscouiæ Ducem pacem firmauit: cuius opera etiam alia molitus est, & indies adhuc nonnulla molitur, quorum optimum euëtum fore sperat: de quibus tamen omnibus, ego aliud quiddam spero. Huius itaque Possevini studium, consilium & solertiam nobis quoque in grauiorum rerum tractatione applicaremus: alij ad id apti forent, ut se in omnes aulas insinuarent: reliquæ multitudinis officium esset, ut ad omnia altaria sacrificia peragerent, & ut in eorum sinum fœminæ sua arcana depromerent: & ut templo ceremonijs completerent: & diuorum simulachra, elegati habitu vestirent: & maximè beatam virginem tanquam Romanam, vel Venetam, vel Neapolitanam Aulicam exornaret: comedias agerent: muliercularū vel vertigine, vel stultitia, vel insanía, vel malitia correptarū dæmones & furias ejerent: miracula ederent: peregrinarentur, Principum actiones specularentur: noua consilia meditarentur. Qui ad ista idonei non essent, ijs Patres alia committerent, quæ rebus illorum domesticis vtilitatem afferrent. Hac itaque ratione conaremur Platonicæ atque Aristotelicæ sapientiae usum verum rursus occultare, Ethicarum virtutum & politicæ disciplina studia restinguere: historiarum & antiquitatis memoriam delere: eloquentiae vires, imperio nostro infestissimas,

COMMENTATIO.

infestissimas infringere, veterum Poëtarum cantus rodentes: sèpè verò molliculas aures delinientes comprimere.

Dehinc in eo nostra pastoralis cura euigilaret, vt pedetentim libri veteres, quotquot nostro tempore in lucem excitati sunt, rursus abolerentur. Maximè verò placeret ius ciuale antiquari, & illius loco ius nostrum Canonicum statui: ea tamen conditione, ut singuli in omnibus cōtrouersijs nostram declarationem expectarent. Porrò lectione Bibliorum omnes prohiberemus, exceptis paucis, qui nostris vtilitatibus, spe præmiorum adducti, libenter inseruiréti: qui decreto non starent, sacrificijs interdiceremus. Quid enim magis aduersari posset rebus nostris, quam si & vulgus sacerdotum, & populus monumenta Apostolorum inspiceret, & Christi præcepta cum nostris præceptis atque institutis compararet: magnos exterritumultus exoriri necesse esset. Non enim omnes intelligunt, non capiunt mysteria, non ad sensum tropologicum, analogicum, & allegoricum attendunt, neque vident modo longè esse alia tempora, quam olim fuerunt, cum Apostoli ista scriberent: & tamē inepti homines Pontificem in ordinem redigere volunt, & præsentem rerum statum Apostolorum doctrina metiri: quod cum minimè conueniat, rectissimè omnes à meditatione librorum sacrorum arceremus: & sanè pulcherrimum fore, Bibliorum Codicem nusquam nisi Roma extare: ut eò tanquam ad oraculum vel ad libros Sybillinos congerent omnes prouinciæ, quoties de religione controuersia exoriretur. Quod ipsum nostri successores præclarè efficerent, modò his vestigijs deinceps insisterent: de quorum tamē egregia voluntate minimè dubitaremus. Artem verò typographicam, quæ has calamitates in primis auxit, vndique profigaremus, & in hoc incumberemus ut concionis habenda potestate omnes priuarentur. Etenim ijs ad seditionem populum inflammari constat: si quando tribuniplebis existunt, qui ista facultate abutuntur, ut nonnullis in locis experti sumus: neque tamen statim hanc rem aggredieremur.

Nam hoc tempore id fieri non potest, quo necesse foret, ut nostras conciones aduersariorum concionibus opponeremus. Ideo Iesuitas & ceteros hortaremur, ut in istis ciuitatibus, vbi etiam aduersarij degunt, omnia sua ita temperarent, ut vulgus eadem, quæ ab Euangelicis proferri solent, ab ipsis quoque dici arbitraretur: nec attingerent illa, quæ planè tanquam impia & falsa repudiarent: sed ijs insisterent, quæ aliquo modo vtriusque partis communia essent:

DE CAVSA COLONIENSI

reliqua post arbusta interim laterent. Nam de Dei prouidentia, de singulari illius erga genus humanū beneficētia, de libertate mentis nostræ, quæ nulla sit nisi Deus eam excitet, & suo spiritu accendat: de Christi sanguine & merito: & gratia, à quibus omnia proficiuntur: de fide, quod charitatis, & omnium nostrorum laudabilium operum atque actionum fundamentum & principium & radix sit: de iustitia nostra, quæ in solo Christo positā est, & ab eo solo manat: tam nostri possent verba facere, quam aduersarij: quæ si oratione illustrarentur, populus tandem non intelligeret, qua in re discrepant: cùm hi non minus Euangelicam doctrinam in medium afferrent, atque iij, qui se solos, ista profiterigloriarentur. Hinc adeò multi iniuriam nobis fieri statuerēt, & tanto citius ad gremium matris Ecclesiae reueterentur. Denique vniuersam religionem ad ceremonias, & externos ritus, ad simulachrorū cultum, ad rosarij globulos, ad sacras peregrinationes, ad votiuas tabellas, ad indulgentias, ad reliquias lacis Mariæ, ad braccam Iosephi, & penem Afinireuocaremus, vt ijs animi impliciti, conciones minimè desiderarent. Vtautem hæc planè succederent, Catholicorum regum & Principū concordiam tam diu stabileremus, donec ista hæreticorū pestis extirpata esset: deinde rursus illos inter se concitari expeteremus.

Et quia Rex Daniæ Germanicis sanguinis est, & sacri Germanici Imperij Princeps, cuius animi magnitudinem, regiam magnificen-tiam, constantiam, fidem, & cum grauitate sociatā admirabilē humani-tatem in primis celebrat: qui multorum annorū grauissimum bellum iuuenis admodum fortiter gescit: & in eo ipso multa didicit, quorum scientia illi in alijs bellis maximo usui esse posset: & de quo credibile est eum cogitare, quæ tanto Rege digna sint, vt patriæ suæ Germaniæ præsidio sit: omnibus modis annitendum esset, vt huic quoque impedimenta quædam obijcerentur, quo commodius hoc ipsum quod animo destinatum haberemus, conficeretur.

Quod verò ad Regem Sueciæ, maximis virtutibus excellentissimum attinet: licet eum Posseuinus adducere non potuerit, vt se in gremium Romanæ Ecclesiae reciperet: tamen oportunum nobis esset illius amicitiam retinere: vt etiam tanti regni opes aliquo modo nostris utilitatibus inseruirent. Atque ex ipsa Moscouia auxilia accersemus, vbi res ita postulare videretur. Nec enim in ea parum præsidij collocaremus, quandoquidem homines barbari, & nostrorum artiū imperiti, libenter nobis gratificaretur, qui in pace concilianda nostram autoritatem cognouissent.

Quod

COMMENTATIO.

Quod si iam Venetam Remp. si cæteros Italiæ Principes cum his coniungeremus: si Catholicis principibus in Germania persuaderemus, habere illos, quo nitantur, modo forti, & constanti animo hæreticos illos, quise Euangelicos vocant, inuaderent: an non illi vindique à Catholicis regibus, atque Principibus, quasi obsidione cincti facile opprimerentur? Cui instituto maximè conducebat, quod hoc tempore Euangelici in duas partes distracti sunt. Hortarremur enim nostros Catholicos Principes, vt vnam partem sibi adiungerent, quod commodius alteram opprimerent: ea verò oppresa, rursus in illam, cum quæ prius coniungissent, impetum facerent. Ita omnes Euangelicos radicitus extirpari necesse esset: cùm presertim illorum præcones hoc tempore inter se tam strenue digladientur: vt, si stipendijs eos cōductos haberemus, nauare nobis operam melius non possent. Qui dum omnia sursum atque deorsum mouerent, aquis turbatis tanto vberiore pīcationem institueremus. Quò etiam maiores animorum distractiones exorirentur, neq; Catholici & Euangelici paulatim consuetudine deuincti, animis coalescerent: Kalendarium nostrum promulgaremus: ita rursus noua odia accenderentur, & nostrarū partium ordines magis sedulò officium facerent. Si verò Euangelici in hac re Catholicis assentirentur, primum cōstaret penes quem esset summa potestas Christianæ Reipub. si non ab Imperatore, sed à nobis tanquam à capite ista promanassent: deinde etiam ad alia paulatim obtinenda viam munitam haberemus, cùm Germani nondum videantur animaduertere, quantum cumulus etiam minimarum rerum accessionefiat. Nam etiam si singula tanti momenti non esse quis existimet, vt ob id multum laboris capi debeat: tamen coniuncta quantam vim habeant, nostri regni exemplo possemus declarare, quod ex humili loco ad tantam magnitudinem hac vna ratione peruenit. Neque enim acquiesceremus in Kalendario, ac si id ciuile quiddam esset, in quo Magistrati rectissimè obtemperet: sed huiusmodi ciuilia multa proponeremus: denique etiam facrorum nostrorum omnes cæmonias, & vniuersum pontificatum his innixum tanquam rem ciuilem, inculcaremus.

Et quia non parum in iudicio Cameræ situm est, omnibus modis laboraremus, vt ibi quoque res nostræ magis stabilirentur. Sed in alijs negotijs alia excogitanda essent: In hac verò Colonensi causa primùm ostēderemus Imperatori, quantū non modo Catholicæ religio-

DE CAVSA COLONIENSI

religionis, verū metiam Austriacæ familię interesset, ne Euangelicorum Electorum suffragia augerentur. Deinde Catholicis Electoribus, Archiepiscopis, Episcopis & principib⁹, eandem Catholicam religionem commendaremus, vt sedulò prouiderent, ne quid illa detrimenti caperet. Præterea communes amicos subornaremus, qui Euangelicis Electoribus & Principibus persuaderent, nō agi de religione, potuisse quidem Truccesum ad Euangelicos se aggregare, absque vlo impedimento, modò vxorem non duxisset: In eo vno grauiter illum peccasse, quandoquidem ea res non tam Catholicis quam Euangelicis Principibus maximum damnum allatura esse videretur: cùm familias illorum interire necesse esset, si omnes matrimonia celebrarent: nec suppeterent Ecclesiasticæ dignitates, ad quas liberi, qui non in parentum locum succederent, eueherentur. His quoque in aurem insuurrarent, metuendum esse magnoperè, ne Coloniensis Augustanæ confessionis doctrinam ostentaret, & tam pernitiosæ, & execrabilis, & detestabili Caluiniorum sectæ adhæ resceret: & quia illi non minore odio, quam Catholici, tam impiam doctrinam prosequerentur: oportere sanè vt coniunctis viribus in communem hostem impresionem facerent. Ita illi, qui maioribus opibus instruci essent, facile ad nostras partes transirent: vel si nostram caussam tueri nō vellent, saltem eam non oppugnarent: quod ad victoriā assequēdam satis esse arbitramur. Hæc omnia etiam apud cæteros ordines locū haberent. Quod si tam diuersis rationibus assequeremur, vt Euangelici Electores & Principes quiesceret: quiescerent cæteri ordines, nō nulli etiam se cū Catholicis cōsocierant: procluē nobis foret initio dirum illum Gebhardum deiijcere: deinde Euangelicos Electores & Principes inter se committere: deinde paulatim singulis captis, vniuersos opprimere.

Posteaquam Euangelici tot diuersis modis ē medio sublati es- sent, restarent non nisi Catholici, quos tot ponderibus urgeremus, tot vinculis constringeremus, tot compedibus deuinciremus, ut nec ipsi inteligerent, quemadmodum sibi ista euenissem, nec villam amplius libertatis assequendæ cogitationem susciperent: demum res ipsa maturitatē afferret, ut religionis nomine, in tota Christiana republica dominaremur, & regum odia rursus accenderemus: ut, quō plus dissensionum, atque bellorum esset, eo magis nostrum regnum floreret: Et sanè Germaniam ex animi sententia gubernaremus: Imperatores crearemus, & quādo placeret loco moueremus:

Archiepisco-

COMMENTATIO.

Archiepiscopos, Episcopos cæterosque ordines Ecclesiasticos, & prophanos non minus laute acciperemus, decimas exigemus, beneficiorum mercaturam stabiliremus: regressum concederemus nō tantum pallio, sed & mitræ, & vittis & singulis ornamētis Episcoporum tributū imponeremus: ex thesauro Ecclesiæ omne genus metrium, & indulgentiarū depromeremus: singula dispensaremus: carnis, butyri, ouorum, vectigalia duplicaremus: populū superstitione duceremus: vniuersos pecunia emungeremus, ageremus, raperemus, degluberemus, rueremus, sternemus, & quacunque ratione fieri posset, nostram illam priscam monarchiam conseruaremus. Illud autem palmarij loco in his omnibus actionibus à nobis duceretur, quod Euangelicorum fauore, & studio, Euangelicos: Imperatoris opera, illorum Imperatorem opprimeremus: & demum nec non alios infimos Catholicos, qui in hanc rem vñā incubuissent, in nostras plagas coniceremus,

Sed fortassis ludere videbor, quod vt Pontifex, tam magnificè loquar. At certè non ludo. Nam hæc quæ à me commemorata sunt, adeò præclarè à Pontifice administrantur, vt nihil dictum sit, in quo perficiendo non strenuè ab illo indies laboretur. Neque verò ista audiuiimus aut legimus, aut ex aliorum commentarijs descripsimus, sed experti sumus plurimū, & corám obseruauimus: quomodo autem contrà Euangelici se parent, hoc loco dici non est necesse: ne longius à scopo discedere videar: neque est meum referre. Illa; antè quæ diximus, eò spectant, vt Pontifex priscam suam amplitudinē recuperet, quod fieri nō posse intelligit, nisi Germani in extremam seruitutem prius adducantur. Interea quidem Catholicæ religionis pulcherrimam quandam oculis nostris faciem ostendit: sed non de Catholicæ religione, verū de sua potentia sollicitus, omnes neros intendit, vt quæ tanquam Vulpes acquisiuit, tanquam Leo retineat. Nam quæ facta specie sanctitatis occupauit, armis cupit defendere: malletque totam Germaniam incendio conflagrare, quam tantillum de suo iure tam malè parto decedere. Ita ex Apostolico reti arma nascuntur. Quod credo voluisse nonnullos sacerdotes Romæ occultè quibusdam signis ostendere, cùm cæteris Ecclesiæ solennitatibus etiam huius rei cæmoniam adiungerent. Nam quotannis in Laterano solenni festo, testudine quæ propè aram est, in qua diui Petri, & Pauli sanctissimorum Apostolorum reliquæ populo monstrari solent, rete ex lino tenuissimo affabré contextum suspen-

DE CAVSA COLONIENSI

ditur, quod vbi accensum est flamma exorta, statim cernuntur fulgura, audiuntur tonitrua, fulmina, non aliter atque si præsum comitteretur. Hæc autem omnia prorumpunt ex ferreo instrumento cannis distincto, quod reti isto lineo obducebatur. Quid potuit ad pontificum instituta declaranda fieri illustrius? qui paulatim simulatione pietatis in animos Imperatorum, Regum atque Principum influxerunt, vt eos in ordinem redigerent, & his quasi retibus vniuersas prouincias occuparent. Posteaquam verò nonnulli dolum cœperunt agnoscere, & se in libertatem vindicare, non amplius insidiosis illis retibus suis nituntur, sed arma expediunt, quæ ijs occultata fuerunt, & tonitrua, & fulmina, & cædem, & incendia excitant, & vastitatem moliuntur, vt rursus imperij arcem inuadant. Quare etiam in Italia, & quidem in ipsa vrbe Roma minimè desunt, qui id ipsum, quod apercē non audent dicere: tamen nonnunquam tecte huiusmodi signis indicant: & nostri in Germania boni Catholici nihil mali suspicantur, & priscæ religionis amore, atque studio omnia fieri existimant: cum interim Monarchiæ cauſa naturæ principia conuellantur: Christianæ doctrinæ fundamenta conuaffen- tur: Germanorum pacis decreta violentur: Imperatoris, Electorum & Principum, & omnium ordinum, & amplitudinis ornamenti & incolumentis præsidia sustollantur. Quis autem non his maximis damnis atque detrimentis, quæ ad omnium nostrum perniciem tendunt, in primis commoueretur? præsertim cum ex altera parte omnia fausta & felicia nobis portendantur. Etenim Archiepiscopus id vnum laborat, ne præter Imperatorem nullum alium supremum magistratum agnoscat: & is nō modò ciuiles, verum etiam Ecclesiasticos Principes subiectos habeat, & recuperet facultatem conferendorū beneficiorum, quibus & de ipso, & de toto Imperio benè meriti remuneretur, & vniuersas Germaniæ vires iam pridem dispersas, arctissimo vinculo inter se cōiungat, & communianorum confessione ea agat, quibus Imperij decus indies magis atque magis amplificetur.

Vult igitur Archiepiscopus, vt Imperator & re, & nomine, Imperator existat: & vt neruos habeat, quibus pro defensione Imperij vntatur: Ethac nullius momenti esse existimabimus: & tanta præsidia atque ornamenta Imperij negligemus? Quid à vera Reipubli- forma alienius est, quam Germaniæ maximam partem quæ est Ecclesiasticorum Principum Romano Pontifici obligatam esse, vt ni- hil age...

COMMENTATIO.

hīl agere possit, nisi quod huic gratum esse intellexerit? an non ista disiunctione simul totius Reipublicæ vires maximè debilitantur? Si monstri simile est, duo capita vnius corporis existere: quis non cūm amaadum, amplectendum & exosculandum esse putabit, qui ad illius Reipublicæ statum in quo vnum caput præsit, suo exemplo viam munierit? Quid verò magis necessarium, quam vt sint præmia, quibus fortissimi viri grauissimis laboribus exantlati tandem recreentur? Quondam Imperatores cum Pontificibus bella gerebant, vt illa beneficentiae instrumenta, præter fas sibi ablata recuperarent, iām ne is, qui modò rerum habenas moderatur pugnabit, ne eam facultatem accipiat? Quod si Archiepiscopi Coloniensis vestigijs cæteri quoque Episcopi insistent, omne beneficiorum ius sua sponte ad caput redibit, & Pontificius mensis mirifica quadam conuersione, & sanè diuinitus in Cæsareum mensem commutabitur.

Habet Rex Hispaniarum in Ecclesiasticis præfecturis amplissimam facultatem, & Galliæ Rex non minore iure vtitur, & Poloniæ quoque Regi non desunt præmia, quæ in suos conferat, solum Imperatorem Pontifex impediuit, ne hac ratione liberalitatis vires suas cōstabiliret. Quod itaq; Pontifex ademit, si Archiepiscopus restituat, & suo exemplo inuitet cæteros, vt idem faciant, num ex cuiusquam hominis actione maior vñquā & vberior fructus redundabit? Evidem his seminibus iactis deinceps pedetentim alia emolumenta, quæ ijs abdita sunt, efflorescēt: vt Germaniæ cōmune consilium, publicum ærarium, & perpetuum exercitum affequatur. Quia sanè tria haec tenus perfecta minimè extiterunt. Non enim commune consilium esse potest, vbi duo supremi magistratus existūt, & vterq; diuersum finem sibi propositum habeat. Nam Imperatoris officium est Germaniæ libertatem tueri, & Imperij dignitatem amplificare: Pótifex suum officium esse putat Germanos in seruitutem addacere, & Imperij amplitudinem labefactare. Cum itaque non minus Pótifici quam Imperatori Ecclesiastici Principes deuincti sint, & in omnibus Comitiorū deliberationibus multi ad Pontificis voluntatem sententias suas aggregent, quis nō ex eo astimabit, quam in hoc rerum statu nulla communis consilij ratio possit existere? Si autem vñus magistratus fuerit, nec ad alium ciuiles Principes cogitationes suas referant, & vñā cum Imperatore amplissimus Senatus certatim contendat, non vt priuatæ familie dignitatem, sed vt.

DE CAVSA COLONIE NSI

Germanici Imperij maiestatem augeant, ibi me hercule communi-
nis consilij lumen vndique apparebit. Quod vt antehac Pontifex
impediuit, ita quoque fecit, ne publici ærarij certa ratio haberetur.
Nam quæ hue inferri oportebat, Romam asportabantur, ex quo po-
stea alia incommoda nata sunt, vt licet priuatim multorum maximæ
opes essent, publici tamen ærarij vtilitatem, quam veteres Romani
percipiebat, planè ignorarémus.

Si verò Archiepiscopi Coloniensis instituta rectè accommo-
dantur, & omniis ista pecunia, quæ ad urbem mitti solebat, ad publicum
ærarium deferatur, non quidem in eo adhuc omnis neruorum
facultas inerit: sed tamen hæc initia viam aperient, & ad publici æra-
rij verum modū propius accedemus, cuius fructus præstantissimus
est, alere perpetuum exercitum, qui non solum Germaniæ fines tue-
ri, sed omnibus regnis, & prouincijs Christianæ Reip. contra exter-
norum hostium impressiones, præsidium afferre possit, quæ negle-
cta sunt, dum publicè otiosam vitam amamus, & sanctissimi Ponti-
ficiis bonis dictis nos satis tutos esse arbitramur. Idcircò licet Ger-
mania viris, equis, armis, instruētissima sit, & gens nostra priuatim
militarem disciplinam maximè colat: tamen hæc virtus nimium di-
stracta est, vt nunquam fermè Germanica robur coagmentetur, &
rarò iustus exercitus conscribatur, qui non paucis mēsibus dissipa-
ri soleat, cùm interim Romani suas legiones perpetuò sustentarent,
& quanto plus in eam rem impenderent, tanto magis pecunia abun-
darent. In quo nos quoque in posterum magis fortunati erimus,
modò, quò nos & fatatrahunt, & Archiepiscopi Coloniensis insti-
tuta vocant, eò alacrianimo sequamur. Nam vt duorum capitum,
& quidem inæqualium turbulētissimus status, omnium nostrarum
calamitatum fons est: ita in vnius supremi Magistratus, cum amplissi-
mo Germaniæ Senatu coniunctione, nostræ felicitatis principium
confisit: cùm commune consilium, ex communī cōfilio, publicum
ærarium ex publico ærario exercitus exoriantur: cuius ea natura est,
vt si quis rectè vti nouerit, non tam ab ætario exercitus alatur, quām
ab exērcitu ærarium locuplētetur.

Hinc adeò rerum maior amplitudo exoritur, quām vt eam ver-
bis possim assequi. Néque tamen me latet, quam in multorum ser-
mone incitriam ea afferant, quæ ab aliorū sententia non parum dis-
crepare videntur: cùm sint certi homines adeò angusto, atque hu-
miliānimo, vt omniū rerum spem penitus abiecerint, hī nobis existi-
um præ-

COMMENTATIO:

um prædicunt, Reipub. interitum vaticinantur, fatem, pestem, hel-
la in ore habent, barbarorum incursions, Turcum iugum dentur,
ciant, etiam ea quæ de fatalibus Imperiorum conuersationib, à pru-
dentissimis viris memoria prodita sunt, huc pertinere arbitrantur.
Nam cum tot annos Germani Imperiū habuerint, oportere aiunt,
vt cursu cōfecto, illius occasus insequatur. Hæc & alia satis cōfiden-
ter: sed tamen ignoscunt, si non adeò proclives sumus, vt ijs statim
assentiamur. Etsi enim fortassis non reprehendendum est, quòd
tot mala ob oculos ponāt, vt mortales à vitijs deterriti pietatem at-
que virtutem ardentiore studio colant: tamen hoc tempestiuè fieri
æquum est, ne fortes viri desperatione rerum fracti, & debilitati lan-
gueant, & cùm opus fuerit pro patriæ dignitate atque incolumente
minus strenuè pugnant.

Quantum enim in vtranque partem ista valeant, priscis monu-
mentis abundè declaratur. Quod verò ad Imperiorum certos &
determinatos fines attinet, de ijs rectè veteres differuerunt: at hi nō
rectè ista nostris temporibus accommodant. Non enim huiusmo-
di ratio est imperij Germanici vt illius orbem conuersum esse meri-
tò existimemus. Nam licet nostri homines multa fortiter omnibus
temporibus gesserint: militarem disciplinam maximè exercuerint:
nō solum foris in Italia, Gallia, Hispania, sed & in Græcia, Asia, Syria
arma circumtulerint: vbique virtutis suæ admirationem excitarint:
hostibus terrorem incusserint: tamen hæc diuersis temporibus, à di-
uersis ducibus ita gesta sunt, vt semper quidem Germanorum laus,
in pluribus heroibus floreret, rarò autem vniuersi corporis virtus
conspiceretur. Etenim vt vetustiora omittam, nostri Cæsares, qui
diuersis prouincijs præfuerunt, non adeò stabilem Reipublicæ for-
mam posteris reliquerunt, quin filij plerunque regnorum diuisio-
ne vires imminuerent, & Pontificibus occasionem præberent, vt ac-
quisita indies maiore potentia Germanos impedirent, ne suo Impe-
rio etiam exterias nationes complecterentur.

Quare licet in Christiana Republica Germani præceteris flo-
ruerint, & Imperij nomen virtute sua acquisuerint: tamen ea vis su-
perstitionis fuit, vt illa Pontifex innixus nostros homines suis fiu-
bus contineret, & sibi in omnes regnum constitueret. Posteaquam
verò superstitionis vanitas patefacta est, tyrannidis quoque adfici-
um, quod ista superstitione fulciebatur, sua mole ruere cœpit. Quæ-
cunque igitur de Imperiorum definitis terminis nōnulli disputant,

DE CAVSA COLONIENSI

ad certum Pontificatum referimus. Huius enim exitus appropinquit, nec fieri potest, quin paucis annis præceps datus maximo fragore collabatur. Et licet se rursus conetur erigere, & quandam etiam huius rei speciem ostendat: tamen id non aliter facit, atque lumen quod priusquam extinguitur, maiorem quam antea splendorum emittit. Quamobrem iam primum Germania ad veram imperij formam accedit, vt multis monumétis veteres consignarunt. Non enim potest interire Pontificia tyrannis, quin Germanorum decus mox efflorescat, & quicquid dignitatis in vniuersa Christiana Republica Pontifices & Cardinales habuerunt, id ad Imperatorem, & ad amplissimum Imperij Senatum transferatur. Non frustra Deus huic genti pulueris tormentarij vsum ostendit, non frustra librorum excudendorum rationem patefecit. Certè & robur illis effevoluit, & cum robore coniungi prudentiam, ne in posterum ferarum more impetu quodam ruerent, sed intelligerent, non solum quemadmodum recte pugnando terræ occuparentur, verum etiam iuris æquabilitate, humanitate & mansuetudine retinerentur. Non etiam frustra excitauit magnos viros, qui superstitionum claustrum pererent. Etenim ianuam ipsam aperire voluit, qua ad summum Imperij fastigium ingredieremur. Quæ omnia eò pertinent, non vt spem abiciamus, sed vt in dignitate Reipub. constituenta omnem curam, operam, studium atq; industriam ponendam esse existemus. Quare Principes nostros magno animo esse decet, & nihil quod humile & abiectum sit, cogitare: verùm ea meditari, quæ ad tanti Imperij magnitudinem accommodata esse videantur.

Neq; verò hoc illi alijs rebus posthabebunt, cùm nondum omnia ita prostrata sint, vt prisca illa virtus nō adhuc in Germanorum pectoribus vigeat. Vestrum saltem erit, o Catholici Episcopi statuere, quid pro defensione communis libertatis aduersus insidias externi sacerdotis agere velitis. Non ego vos cohortabor plurimi, dixi, quæ ad æquitatem huius caussæ, quæ ad incommoda, quæ ad emolumenta pertinerent. An non æquitas rei vos mouebit? ^{an} non calamitates maximæ excitabunt, quæ in Germaniam redundatæ sunt, si Pontifex id, quod molitur, ad optatum exitum perducet? an non inflammabit vos imperij maiestas, quam in primis augeri necesse est, si omnes Truccesij vestigia secuti nullum in Germania quicquam iuris in vos habere, præter Imperatorem, nullum externum sacerdotem vobis superiorem esse agnoscatis.

Quod

COMMENTATIO.

Quod si inanis superstitionis, & turpis quæstus, & otij cupiditas, & ignavia plena securitas retardabit, quò minus id quod optimum est possitis eligere, quod de talibus viris minimè suspicari debeo. Sed tamen si quid tale cōtingat, nónne æquum est, vt sint, qui nobilitati Germaniæ consulant, ne equites nostri globulis, & rosarijs, & agnis Dei, & breuiarijs potius suffarcinati incedant, & bonas horas male collocent, quam vt militarem disciplinā, à qua omnis nobilitas orta est, colant, & patriæ salutē tueantur. Nam si Germaniæ Episcopatus in publicum ærarium referrent, vt exercitus perpetuus aduersus externos hostes tanto commodius ali posset, an non hæc omnia ad nobilitatis ornamenta pertinerent, cùm & ijs amplissima præmia fortiter pugnantibus decerni possent, & cæteris etiam consuli, qui armis transtandis occupati, ad equestris ordinis dignitatem sua virtute proximè accederet. Manerent tamen præposituræ, maneret Ca nonicatus, manerent monasteria, & reliqua Ecclesiastica bona, quæ optimarum artium studijs consecrari possent, ita & literis & armis: & Mineruæ, & Marti sua præmia forent: quibus duabus rebus omnium Imperiorum dignitas non solum consistit, verum etiam maximè amplificatur.

Sed non est meum excitare vos oratione mea, ne aut prudenter, aut integrati, aut amori erga patriam diffidere videar, quid rectum & æquum sit, quid Pontifex ad communem Germaniæ pernitiem moliatur, quid patriæ incolumentas & salus, fatis ipsis virginibus postulet, videtis, agite itaque ut lubet. Nam si communem Germaniæ caussam aduersus Pontificum Romanorum immanitatem defendandam suscepitis, vobis in primis consuleatis, si minus, saltem æquo animo vos ferre oportebit, vt existant alij, qui Germanici Imperij decus, & amplitudinem minimè negligendam esse arbitrentur.